











Anno VIII. Mense Martio 1927 Vol. VIII - Fasc. 1.

"Gregorianum"

Commentarii de re theologica et philosophica

INDEX.

(Index continuatur in altera pagina).

ROMAE
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
VIA DEL SEMINARIO, 120

logische Studium der Bayrischen Franziskaner (F. PELSTER). — **M. Gatterer,** Annus liturgicus; **M. Gatterer,** Das liturgische Tun (J. M. HANSSENS). — **R. Will,** Le culte (F. JANSEN). — **F. Marxuach,** Compendium dialecticae, criticae et ontologiae (G. HUARTE). — **F. Wegier,** Dyalektyka (B. BOJULKA). — **O. Lottin,** Le Droit Naturel chez saint Thomas et ses prédécesseurs (E. ELTER). — **O. Lottin,** L'intellectualisme de la Morale thomiste (E. ELTER). — **O. Lottin,** La définition classique de la Loi (E. ELTER) — pag. 127.

Elenchus bibliographicus — pag. 154.

MONITA

“Gregorianum„ quater in anno, tertio quoque mense, ocius vel serius pro opportunitate prodit, paginarum numero ita compactum ut integrum volumen non minus sexcentis constet paginis.

Pretium subnotationis annuae pro Italia **lib. 28**
» » » extra Italiam **lib. 35**

Singuli numeri seorsum veneunt:
in Italia **lib. 8** — extra Italiam **lib. 10.**

Subnotatio *tutior expeditiorque* fit *recto tramite* ad « Gregorianum » — via del Seminario, 120, Roma (119) — et quidem a degentibus extra Italiam per mensae nummariae syngrapham (chèque) et a degentibus in Italia per publici cursus mandatum (vaglia postale).

Singuli fasciculi suo tempore quavis de causa non accepti, tunc solum iterum mittentur si repetentur statim post fasciculi sequentis acceptionem; si autem serius requirentur, nonnisi convenienti remisso pretio haberi poterunt.

Primum huius anni fasciculum ad omnes mittimus qui superiore anno subnotatores fuerunt nec contrarium significarunt. Qui autem subnotationis pretium pro anno 1927 nondum miserunt, sollicite ut remittatur provideant; qui vero subnotationem renovare nolunt, eumdem primum fasciculum *respuendo,* id nobis significare velint.

"GREGORIANUM"



COMMENTARII

DE RE THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA

Anno VIII. - 1927

Vol. VIII.

ROMAE
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
VIA DEL SEMINARIO, 120

De Mariae in ipso opere redemptionis cooperatione

Omnium gratiarum mediatricem salutamus Beatissimam Virginem Mariam. Haec mediatio non unica actione nec unica specie actionum absolvitur, sed tribus potissimum partibus constat. Nam 1) Maria, libero in incarnationem Filii Dei consensu praestito, huic mundo edidit Salvatorem, omnium gratiarum fontem ac plenitudinem; quare vocatur Mater Salvatoris. 2) Sub et cum Christo in ipso opere redemptionis compatiendo suumque Filium offerendo cooperata est; quare vocatur adiutrix redemptionis vel corredemptrix. 3) Nunc in caelo beata Virgo omnes gratias omnibus hominibus a Filio suo impetrat, ita ut nulla gratia a Deo hominibus detur, nisi ad eius intercessionem expressam et interpretativam [1]; quare vocatur distributrix vel dispensatrix omnium gratiarum. Triplicem totius mediationis divisionem invenio breviter comprehensam apud I. M. Bover S. I. [2]: « Tres fases o momentos principales comprende esta mediación: comienza en la Encarnación, se ratifica en el Calvario y se consuma o continúa en el cielo ».

Contra primum ac tertium vix est seria difficultas. At Mariae cum Christo in ipso opere redemptionis cooperatio obscuritate non caret et aliquas patitur difficultates, quas, non ut doctrina haec impugnetur, sed ut magis manifestetur, proponere liceat. Iuvat

[1] Duplicem modum huius intercessionis ex S. Thoma, *Suppl.*, q. 72, a. 3, ubi de intercessione sanctorum in communi agitur, apte in nostra re proponit I. Bittremieux, « Ephemerides Theologicae Lovanienses » 2 (1925) pag. 396. Verba S. Thomae sunt haec: « Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis: uno modo *oratione expressa*, dum votis suis aures divinae clementiae pro nobis pulsant; alio modo oratione *interpretativa*, scilicet per eorum merita, quae in conspectu Dei exsistentia non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia et orationes quaedam, sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere ».

[2] *La mediación universal de la Virgen María en las Encíclicas de León XIII*. Barcelona, 1925, pag. 7.

autem prius rationes, cur haec cooperatio affirmetur, indicare, et cooperationem ipsam distinctius explicare. Sit ergo haec prima pars:

I. Maria an et quomodo in ipso opere redemptionis cooperata sit.

1. Non est, cur lectoribus huius Commentarii doctrina de Beatae Virginis in ipso opere redemptionis cooperatione fuse probetur, cum I. M. Bover in articulo cui titulus: *B. V. Maria, hominum Co-redemptrix* («Gregorianum» 6 [1925] pag. 537-569) testimonia traditionis collegerit atque proposuerit. Hoc unum moneo, attendendum praecipue esse ad ea testimonia, in quibus Maria dicitur per compassionem vel per sui oblationem vel per Filii immolationem ad salutem nostram contulisse; e. g. «consors passionis, adiutrix facta est redemptionis» (B. Albertus M., *l. c.*, pag. 545); «fuit adiutrix redemptionis per compassionem» (S. Antoninus, pag. 545; cfr. pag. 548); «se ipsam mactans» (Ernaldus, pag. 547); «ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit, placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat Ipsa cum Christo humanum genus redemisse» (Benedictus XV, pag. 555) [1]. Non enim agitur hic, ut diximus, de ea cooperatione, quam Maria praestitit, cum angelo nuntianti plena fide responderet: «Fiat mihi secundum verbum tuum», nec de ea, quam nunc sine intermissione per suam intercessionem agit, sed de ea, quam sub cruce exercuit.

2. Iam si de huius cooperationis ratione quaerimus, duae quaestiones se offerunt, nempe quomodo operata sit Maria et quomodo cooperata sit. Ut respondeamus ad priorem quaestionem, recurrimus ad ea, quae S. Thomas de opere ipsius Christi proponit; dicit enim (*S. th.*, III, q. 48, a. 1-4) passionem Christi causavisse nostram salutem per modum meriti, per modum satisfactionis, per modum sacrificii, per modum redemptionis. Haec vero quattuor ac-

[1] «Acta Ap. Sedis» 10 (1918) pag. 182; cfr. 15 (1923) pag. 104.

commodari possunt ad Mariam, et re quidem vera iam invenimus ea, proportione debita servata, de Maria dicta.

a) Maria « *de congruo,* ut aiunt, *promeret nobis,* quae Christus de condigno promeruit », ut habent vulgatissima Pii X verba (Bover, *l. c.,* pag. 550; Denzinger, n. 3034). Sed animadvertendum est Summum Pontificem loqui de Christo quidem per tempus praeteritum: « promeruit », de Maria autem per tempus praesens: « promeret ». Vultne igitur forte solum asserere praesentem eius impetrationem, quae verbo promerendi exprimi posset, ut fere fit in sententia S. Augustini *De dono perseverantiae* (6, 10; ML 45, 999): « Hoc ergo donum Dei suppliciter emereri potest »? At additamentum « de congruo » arguit vocem promerendi hoc loco nativam suam vim habere et significare opus, quod (sive de condigno sive de congruo) praemio dignum est. Praeterea Pius X ibidem loquitur de Mariae compassione, dicendo cum S. Bonaventura: « Tantum etiam compassa est, ut si fieri potuisset, omnia tormenta quae Filius pertulit, ipsa libentius sustineret » (« Acta S. Sedis » 36, [1903-04], pag. 453). Effertur etiam ibi « Matris et Filii nunquam dissociata consuetudo vitae et laborum », et sermo est de « dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione » atque de eius cum Christo coniunctione (pag. 454). Unde concludere licet, ipsam suo modo, de congruo nempe, cum Christo nobis meruisse gratias, praesertim si attendatur ad hoc, quod unus iustus pro alio mereri possit de congruo, etiam primam gratiam. Quidni omnium iustissima et in caritate maxima et cum Christo modo prorsus singulari coniuncta [1].

Ex prioribus theologis de hoc universali merito de congruo vel saltem de « impetratione ex congruitate » loquitur Ferdinandus Quirinus de Salazar S. I. [2], qui remittendo lectorem ad suum in Prov. 8, 18 et 19 commentarium sic ait: « Profecto in eo v. 19 audacter

[1] Cfr. S. THOMAS, *S. th.,* I^{a} II^{ae}, q. 114, a. 6: « Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam ». De hoc argumento etiam tractat I. Bittremieux, *De notione B. M. Virginis Mediatricis gratiarum,* in « Ephem. Theol. Lovan. », 2 (1925), pag. 394.

[2] *Defensio pro immaculata Deiparae Virginis conceptione,* c. 21, n. 7. Coloniae Agrippinae, 1622, pag. 124.

dixi nihil Christum Dominum meritis suis ex condignitate aut nobis aut etiam ipsi virgini adeptum, quod non etiam virgo Deipara ex congruitate impetraverit. (Si tamen excipias originalem et primam gratiam, qua virgo donata fuit: hanc enim sibi nulla ratione aut congruentia consequi virgo potuit) ». Praeclarum textum praebet Ambrosius Catharinus O. P. † 1553 [1], cuius verba digna videntur quae fusius proponantur. Is, prosequens similitudinem, quae Christum inter et Adamum, Mariam inter et Evam intercedit, distinguit tres modos productionis corporalis, quibus correspondeant tres modi generationis spiritualis. Adamus enim a solo Deo e terra procreatus, Eva ex Adamo sine matre producta est, reliqui ex patre et matre generantur; ita Christus per operationem Dei ex Maria natus est, Maria spiritualiter ex latere Christi in cruce dormientis prodiit, reliqui ex Christo et Maria regenerantur. En eius verba: « Agnosce ergo in hoc primam spiritus generationem, scilicet Christum ex Maria... Agnosce hanc secundam spiritualem generationem Virginis, quam profitemur, quae ex Christo fuit, non a semetipsa et vi propriae nativitatis. Et tamen in innocentia sicut ille, et ex costa eius, id est ex fortitudine et potentia gratiae, qua valuit apud patrem, ut inde educi posset adiutorium simile sibi, id est innocentissimum pro aliorum regeneratione. Et quam pulchre tunc educta est, cum in soporem coniectus est vir ille, ut intellegas, etiam virgini opus fuisse Christi cruce... Agnosce tertium modum spiritualis generationis, quae communis est ceteris omnibus; quia iam patrato peccato est et ita morte consecuta. Unde haec generatio ex utroque est, id est ex viro et muliere, Christo et Maria, qui ambo licet fuerint innocentissimi (quamquam Maria per ipsum Christum talis fuerit) tamen *super se ipsos peccata nostra reicientes, meruerunt nobis propter suas poenas salutem.* Primo tamen et principaliter Christus ut vir, deinde quasi mulier, Virgo ipsa ».

Si quaeritur, quid Maria nobis meruerit, interdum respondetur, eam nobis meruisse *applicationem* earum gratiarum, quas Christus generi humano meruit. « Cum meritum de congruo », ait I. M. Schee-

[1] *Disputatio pro immaculata Dei Genitricis conceptione.* Lib. 3, persuasio 14; pag. 90 sq. *Opuscula.* Lugduni, 1542.

ben (*Dogmatik*, III, 1882, pag. 603, n. 1792), « manifeste ad meritum de condigno nullam novam et altiorem virtutem addat, per istam formulam nullo modo affirmatur merita Christi proprie indigere complemento. Immo vero positiva vis ac efficacia meriti de congruo potest et debet hoc loco in eo tantum consistere, quod Maria tamquam nobilissimum membrum generis redimendi, nomine eiusdem agens, applicationem meritorum Christi efficaciter impetraverit vel ea merita secundum eorum applicabilitatem ex parte dispositionis recipientium compleverit ». Quodsi Mariae pro nobis merita exclusive ad applicationem meritorum Christi restringuntur, censeo hoc non sufficere. Christus certe meruit nobis ipsas gratias, non tantum applicationem earum. Mariae merita addunt novum titulum ad easdem gratias acquirendas. Recte dicitur Maria nobis *nunc* promerere applicationem gratiarum, si sensus est: nunc precibus nobis impetrat gratiarum applicationem; sed de hac parte mediationis eius hic non agimus.

b) De satisfactione a B. Virgine pro salute mundi praestita ait M. Sales O. P.[1]: « Nec solum B. Virgo meruit nobis de congruo gratiam, sed *etiam de congruo pro nobis satisfecit*, ita ut hac ratione vocari possit corredemptrix generis humani ». Ex antiquioribus iterum Ferd. Quir. de Salazar (*l. c.*, c. 21, n. 10, pag. 124) adduci potest. Citat verba S. Bernardi[2]: « Propterea curre Eva ad Mariam, mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa mortis opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat, quia ecce si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam ». Dein pergit de Salazar: « Pensanda sunt verba illa: Ipsa pro matre satisfaciat, quae modum et rationem, qua Virgo Evae damna et iniurias generi nostro illatas resarsit, partim extollunt, partim explicant. Significant enim illam suis promeritis non utique condignam et aequalem, sed tamen congruam et aliqualem pro matris delicto *satisfactionem obtulisse* ». Verba quidem S. Bernardi non videtur ille recte exposuisse, cum Doctor mellifluus, ut mihi saltem videtur, non loquatur ibi directe de ea satisfactione, quae est iniuriae

[1] « Divus Thomas », Placentiae, 28 (1925) pag. 457.

[2] Homilia 2, 3 super « Missus est »; ML. 183, 62; Breviar. Rom., 11 febr., lectio 7.

personalis reparatio, sed de ea, quae est excusatio, defensio, responsio, apologia, ut in sententia S. Pauli: « Bono animo pro me satisfaciam » (*Act.*, 24, 10). Tamen mentem ipsius Salazarii videmus.

Ad possibilitatem et rationem talis satisfactionis explicandam valent verba S. Thomae: « Inquantum etiam duo homines sunt unum in caritate, unus pro alio satisfacere potest » (*S. th.*, III, q. 48, a. 2, ad 1); et: « Aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens: uno modo perfecte, quia est condigna... Alio modo potest dici satisfactio puri hominis esse sufficiens imperfecte, scilicet sicut secundum acceptationem eius, qui est ea contentus, quamvis non sit condigna: et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens; et quia omne imperfectum supponit aliquid perfectum, a quo sustentetur, inde est quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet a satisfactione Christi » (*S. th.*, III, q. 1, a. 2, ad 2).

c) Mariam ad nostram salutem *per modum sacrificii* contulisse enuntiatur multis textibus, in quibus ea dicitur Filium obtulisse vel etiam se ipsam mactasse. « Ita... *Filium immolavit*, ut dici merito queat Ipsa cum Christo humanum genus redemisse » ait Benedictus XV (Bover, *l. c.*, pag. 555). Alia bona testimonia praebent dicta Ernaldi Bonaevallensis et Suarezii (Bover, pag. 547 et 549), quibus addi potest S. Petrus Canisius Ecclesiae Doctor[1]: « Vere igitur magna fecit Mariae qui potens est, ut mulier tot malorum et suppliciorum Filii spectatrix astaret... simulque Christum veram et vivam hostiam pro mundi peccatis offerret ».

d) Denique B. Virginem ad nostram salutem procurandam *per modum redemptionis* concurrisse enuntiatur iterum verbis Benedicti XV modo citatis, ubi etiam indicatur, qua ratione pretium nostrae redemptionis exsolverit, nempe « materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit ». S. Bonaventura ait: « Ipsa pretium illud protulit, solvit et possedit » (Bover, pag. 559).

Sed quid sibi volunt frequentes illae appellationes, quibus Maria honoratur: « Redemptionis adiutrix, hominum redemptio, redemp-

[1] *De Maria V. incomparabili.* Lib. 4, c. 26, al. 5; MIGNE, *Summa aurea*, 8, pag. 1425.

trix, corredemptrix » (Bover, pag. 545 sqq.); utrum solum dicunt, Mariam ideo esse causam nostrae salutis, quia libere in incarnationem consensit et quia nunc omnes gratias distribuit, an etiam Mariae sub cruce compatientis et nos ibidem corredimentis partes designant? Hoc in singulis casibus esset videndum. Certe, cum B. Albertus Magnus [1] et S. Antoninus [2] dicunt: « Fuit adiutrix redemptionis per compassionem », loquuntur de Mariae sub cruce cooperatione. At si S. Irenaeus (*Adv. haer.*, 3, 22, 4) dicit: « Obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis », sermo est de consensu B. Virginis in Verbi incarnationem. Tamen generatim istae appellationes dici possunt saltem indirecte testari Mariae in ipsis gratiis acquirendis cooperationem. Nam redemptio nostra magnam habet unitatem, quam pulchre describit ac probat Christianus Pesch († 1925) in libro germanice conscripto: *De B. Virgine Maria omnium gratiarum mediatrice* [3]. Deus nempe misit Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum; Christus passione ac morte sua nobis iustificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit; nunc superabundant in nobis divitiae gratiae eius, et in fine saeculi tradet regnum Deo et Patri. Iam vero Maria ascita est ad opus redemptionis, nec tantum ad partem vel particulam, sed ad totum, quia Dei perfecta sunt opera. Quare etiam in acquirendis gratiis redemptionis cooperata est.

Quamvis Christus per quodlibet bonum opus totum mundum redimere potuisset, tamen nos redemit per passionem et mortem, et per reliqua opera tantum, inquantum passione et morte complenda erant. Ita enim Pater opus Christi acceptare pro nostra salute statuit. Quia vero Maria intime cum Christo coniuncta fuit, concludere licet eam inde ab incarnatione omnia quidem sua bona opera cum Christi intentione redemptoria univisse, at demum per compassionem sub cruce nos proprie corredemisse. « A praesepe usque ad crucem suo modo in opere redemptionis cooperata est », ait Chr. Pesch (*l. c.*, pag. 131). Porro: « Maria ab initio suas partes

[1] *QQ. super « Missus est »*. Resp. ad qq. 148-150; ed. Parisiis 1898, t. 37, pag. 219 a.

[2] *Summa*, p. 4, tit. 15, c. 20, § 14; ed. Venetiis 1740, t. 4, pag. 1064.

[3] *Die selige Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden*. Freiburg im Breisgau 1923, pag. 121 sqq.

in redemptionis opere habuit; at cum hoc opus per passionem et mortem Christi coronandum esset, conditioni Mariae consentaneum fuit, ut, sicut in principio, ita et in absolutione operis particeps esset » (pag. 138).

e) Accedit ad haec quattuor aliquid Mariae ut novae Evae proprium, scilicet eius maternitas respectu omnium spiritualiter viventium. Immo haec maternitas recapitulat quattuor ista priora, quia manifestat communem modum, quo Maria nostram salutem operata est, nempe ut nova Eva, ut mater omnium viventium, quae a Christo ipso signanter « mulier » vocatur (*Io.*, 2, 4; 19, 27), quae est mulier victrix in Genesi (3, 15) praedicta, de qua etiam S. Paulus loquitur: « Misit Deus filium suum factum ex muliere » (*Gal.*, 4, 4), et quae gloriose « amicta sole » in Apocalypsi (12, 1) visa est. Ipsa quondam « peperit sine dolore Salvatorem saeculorum » (Breviar. Rom., 1. Ian., Respons. 8), at sub cruce nos suos filios cum maximis doloribus peperit.

3. Iam si quaerimus quomodo Mariae operatio fuerit cum Christo *cooperatio*, duos modos mihi videor apud auctores invenire, sc. vel Maria ad opus Christi substantialiter perfectum accidentalem perfectionem adiecit, vel Maria cum Christo, debita subordinatione servata, quodammodo unum principium redemptionis nostrae constituit. Hoc ultimum, si verum est, certe conceptum cooperationis verius implet.

Priorem modum expressis verbis proponit G. van Noort [1]: « Etiam haec Virginis cooperatio [sc. quam praestitit Filium suum pro nobis Deo Patri offerendo], quum nullo modo auxerit valorem sacrificii Christi, non fuit necessaria ad essentialem perfectionem redemptionis; nihilominus non erat inutilis, nam operi reconciliationis accidentalem quandam perfectionem adiecit, quatenus in persona Virginis ipsum genus humanum, consentiendo et compatiendo, ad oblationem hostiae reparatricis concurrit ». Ceterum, ut patet, nullus dicit Mariae cooperationem fuisse antecedenter ad Dei decretum, quo eam ut adiutricem elegit, necessariam.

[1] *De Deo Redemptore*, ed. 2ª. Amstelodami, 1910, pag. 158; n. 220.

Maiorem unitatem Christi et Mariae nostram salutem operantium videtur mihi docere M. I. Scheeben[1], qui admittit quidem operationem quasi concomitantem, qua Maria, Christo suum holocaustum offerente, per gemitum Columbae et supplicationem sponsae gratias redemptionis vel certe earum applicationem nobis de congruo meruit et sacrificio Christi aliam oblationem ex sua parte addidit. Tamen ita pergit: « Haec consideratio de Mariae cum Christo in actu redemptionis cooperatione, quamvis in se iuste affirmari possit, tamen coniungi debet cum alia pleniore ac profundiore et tamen simul minus captiosa cogitatione, quae per ipsam S. Scripturam innuitur et secundum quam Mariae ut sponsae cooperatio, actionem redemptivam Christi concomitans, cum Mariae maternitate et cum Christi actione intimius et 'organice' coniungitur, ita ut sponsa et sponsus non iuxta sed in invicem actuosi et operantes appareant » (*l. c.*, pag. 605, n. 1795). Ad unum sacrificium complures personae ita concurrere possunt et interdum debent, « ut earum operatio ad constituendam actionem sacrificalem pertineat » (*ibidem*).

II. Difficultates quaedam.

1. DIFFICULTAS petitur *EX PARTE PERSONAE REDIMENTIS*, quae videtur esse unice et exclusive Christus Dominus. Non est in mente repetere hic obiectionem ex S. Paulo sumptam: « Unus et mediator Dei et hominum » (*1 Tim.*, 2, 5), ad cuius solutionem valent verba S. Thomae (*S. th.*, III, q. 26, a. 1): « Solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator...; nihil tamen prohibet aliquos alios *secundum quid* dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive et ministerialiter* ». Neque provocare volumus ad verba Isaiae; « Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum » (*Is.*, 63, 3), ad quae S. Thomas in suo ad Isaiam commentario (ed. Par-

[1] *Handbuch der katholischen Dogmatik.* Tom. III. Freiburg im Breisgau, 1882. *Ibi*, pag. 600-629 copiose ac profunde nec stilo semper facili agit de Mariae in opere redemptionis cooperatione ac de eius perdurante munere mediatricis.

mensis, 14, pag. 570) notat: « Et dicit signanter Vir propter beatam Virginem, in qua fides nunquam defecit », et quae Scheeben (*Dogmatik*, III, pag. 611, n. 1804, nota) innixus prioribus theologis apte exponit dicendo, hisce verbis excludi solum adiutorium praestitum per pugnatorem Christo coordinatum et aequalem, qui effuso sanguine sicut Chrisus ipse victoriam consequatur. Non excluditur mulier Christo patienti subordinata et compatiendo cooperans. « Astitit regina a dextris tuis » (*Ps.*, 44, 10). Hanc obiectionem ex *Is.*, 63, 3 haustam tractat F. X. Godts in libro: *La Corédemptrice*, Bruxelles, 1920, pag. 157 sq.

Sed difficultatem sumimus ex textu S. Thomae, *S. th.*, III, q. 48, a. 5, id est ex eadem quaestione, cuius priores articuli tam apte accommodari possunt ad Mariae operationem dilucidandam et distinguendam in meritum, satisfactionem, sacrificium, redemptionem. Est autem *difficultas haec*:

« Passiones sanctorum proficiunt Ecclesiae, *non quidem per modum redemptionis*, sed per modum exempli et exhortationis » (*S. th.*, III, q. 48, a. 5, ad 3). Et: « esse immediate redemptorem proprium est Christi, inquantum est homo » (*Ibid.*, in corp.).

Ergo nec passio vel compassio B. Virginis per modum redemptionis nobis proficit. Quare Maria non recte dicitur genus humanum redemisse aut corredemisse.

Neque ipse S. Thomas in articulo citato, neque Caietanus, neque Suarezius, neque Toletus in suis ad hunc articulum commentariis mentionem B. Mariae Virginis faciunt. Neque auctores scio, qui respectu B. Virginis hanc obiectionem tractent. Caietanus dubium movet praecise circa dictum: « Passiones sanctorum proficiunt Ecclesiae non per modum redemptionis ». Nam, ait, passiones sanctorum in indulgentiis nobis applicantur per modum satisfactionis et consequenter per modum redemptionis. Sed, ita pergit, est multiplex differentia inter passiones sanctorum et Christi, siquidem sanctorum passiones non absolute, « sed superflue tantum satisfaciunt pro nobis », et a poena tantum, non a culpa redimunt, et non nisi clavium auctoritate nobis applicantur. Et ob has limitationes « potuit absque ullo veritatis praeiudicio negativa simpliciter et absolute asseri, dicendo quod passiones sanctorum non

prosunt Ecclesiae per modum redemptionis ». Suarezius satis concinit Caietano: « merito dubitat Caietanus », et eius rationes non esse reiciendas censet. Ipse tamen Suarez mentem S. Thomae paulo aliter explicat. Dicit S. Doctorem eo loco abstinuisse a quaestione de Sanctorum pro aliis satisfactione, quia solum voluerit respondere ad verba S. Pauli: « Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi » (*Col.*, 1, 24), quae posuit in obiectione secunda et quorum litteralis sensus is esse dicitur, quod Paulus exemplo et doctrina adlaborare velit ad *applicationem* fructuum passionis Christi. Neque satisfactiones sanctorum esse simpliciter redemptionem [1].

Principia solutionis videntur praesto esse in corpore ipsius articuli S. Thomae. Unum est quod dicit: « Si enim aliquis solvat pro redemptione alicuius rei pretium, si non est suum, sed alterius, non dicitur ipse redimere principaliter, sed magis ille cuius est pretium ». Iam vero, pretium redemptionis nostrae aliqualiter fuit B. Virginis, quia ipsa et sola ipsa inter omnes sanctos « materna in Filium iura » (Benedictus XV) habuit et abdicare potuit. Alterum est, quod S. Thomas in ipso articulo primario considerat relationem Christi ad Patrem vel ad totam Trinitatem, et demum in « ad 3 » de Sanctis loquitur: « Utrumque istorum [sc. actus solutionis et pretium solutum] ad Christum pertinet immediate, inquantum est homo; sed ad totam Trinitatem sicut ad causam primam et remotam, cuius erat et ipsa vita Christi sicut primi auctoris, et a qua inspiratum fuit ipsi homini Christo ut pateretur pro nobis ». Etiam in his verbis applicatio ad Mariam se offert, « cuius erat et ipsa vita Christi » sicut genitricis. Et saltem consensit in eius voluntatem redemptivam.

Hinc datur *responsum*:

« Passiones sanctorum non proficiunt Ecclesiae per modum redemptionis », *dist. antecedens*: Passiones reliquorum sanctorum, conc. ant.; passiones B. Mariae Virginis, cuius solius ex omnibus sanctis pretium nostrae redemptionis aliquatenus proprium erat et quae sola materna in Filium iura habuit et abdicavit, nego ant. — Porro: « esse immediate redemptorem proprium est Christi, in

[1] Suarez, In III S. Thomae, q. 48, a. 5. Ed. Parisiis, 1877, tom. 19 pag. 612 sq.

quantum est homo », dist. hoc alterum antecedens: Proprium est Christi hominis in oppositione ad SS. Trinitatem, conc.; in oppositione ad sanctos, subdist.: ad reliquos sanctos, conc.; ad matrem suam Mariam, iterum subdist., quatenus solus Christus primario et perfective et effuso sanguine nos redemerit, conc.; quatenus excluserit partes matris corredemptricis, quae materna iura Filium immolando abdicavit, nego.

« Ergo nec passio vel compassio B. Virginis per modum redemptionis nobis profuit », par. distinguo consequens: Maria non fuit primario et perfective redemptrix, conc.; non fuit sub et cum Christo corredemptrix, nego consequens.

2. DIFFICULTAS sumitur *EX PARTE PERSONARUM REDIMENDARUM*, inter quas erat ipsa B. Virgo, et ita proponitur:

Si Maria ullo pacto genus humanum redemisset (cf. Benedicti XV verba: « Ipsam cum Christo humanum genus redemisse »), etiam se ipsam redemisset. Atqui non se ipsam redemit; hoc enim impossibile est, quia, ut se redimeret, iam indigeret gratia, quae ex redemptione fluxerit; deberet ergo iam redempta esse, antequam se redimeret. Ergo nec genus humanum redemit.

Simili obiectione quondam movebatur cl. Bartmann [1], qui ita scripsit: « Ut patet ex definitione Immaculatae Conceptionis, Maria ipsa vere per Filium suum redempta est, quia vere eguit redemptione. Tantum per modum, non per factum redemptionis a ceteris hominibus diversa est. At si ipsa redempta est, non potuit cooperari in obiectiva redemptione ». Idem vero cl. auctor se suam sententiam retractavisse ingenue fatetur. Nam in 3. et 4. editione alterius libri, cui titulus est: Maria in lumine fidei et pietatis (*Maria im Lichte des Glaubens und der Frömmigkeit*, 3-4. Auflage. Paderborn, Bonifaciusdruckerei) addidit novum caput 21: *Mater divinae gratiae*, quod iam antea in quodam periodico folio publici iuris fecerat; atque in prooemio libri (pag. VI sqq.) candide dicit: « Alterum, quem adieci, articulum de Matre divinae gratiae iam publicavi in fasciculo mensis ianuarii 1925 folii periodici 'Theologie

[1] *Lehrbuch der Dogmatik*. Freiburg im Breisgau (Germaniae). Ed. 2., (1911) pag. 400, § 110; vel ed. 6., tom. I (1923) pag. 458, § 110.

und Glaube'. Per hunc articulum me adiungere studeo motioni illi marianae ultimis annis diligenter agitatae, cuius finis est obtinere dogmaticam definitionem propositionis asserentis: Omnis gratia per Mariam. Olim censebam difficile esse hanc thesim atque titulum 'Mariae corredemptricis' saepe cum ea coniunctum dogmatice ac clare sustinere... Si ergo olim putavi et scripsi, titulum [corredemptricis] dogmatice iustificari non posse, hanc sententiam nunc depono. Idque eo magis, quod Benedictus XV (1921) orante Cardinale Mercier dioecesibus belgicis propriam Missam concessit in honorem B. Mariae V. Mediatricis omnium gratiarum »[1].

Ad solvendam hanc 2. difficultatem alii aliter respondent. Unum vidi, qui minorem: « Atqui non se ipsam redemit » satis clare neget. Is est F. X. Godts C. SS. R. in libro *La corédemptrice*, Bruxelles, 1920, pag. 163. Ad quaestionem enim: « Quomodo Maria vocari potest corredemptrix, cum ipsa opus habuerit redemptione? An forte se ipsam redemit? » ita respondet: « Sine dubio Maria cooperata est ad suam ipsius redemptionem; res clara est. Ipsa redempta est et quidem sublimiore modo, ait Pius IX, intuitu meritorum futurorum Christi. Iam vero incarnatio Verbi dependebat a consensu Mariae verbis angeli praestando. Ergo dando suum consensum efficaciter concurrit ad suam propriam redemptionem: res est evidens». At pace tanti defensoris Mediationis B. Mariae V., qui magnum librum « De definibilitate Mediationis Deiparae, Bruxellis 1904 » composuit, dicendum putamus hanc solutionem non omni ex parte rectam esse. Etiam F. H. Schüth in opere supra laudato[2] videtur concedere B. Virginem aliquatenus se ipsam re-

[1] Obiectiones quas idem Bern. Bartmann in alio libro, cui titulus est: *An Christus adversetur cultui B. V. Mariae?* (*Christus ein Gegner des Marienkultus?* Friburgi in Germania 1909, pag. 150 sqq.) contra doctrinam doctoris Scheeben circa Mariae in opere Christi cooperationem moverat, solvere studet Ferdin. Henr. Schueth S. I. in libro germanice scripto: *Mediatrix. Eine mariologische Frage.* Innsbruck 1925. Qui liber hoc magnum meritum habet, quod Mariae in ipso opere redemptionis cooperationem strenue effert atque defendit. Vide quid in laudem huius libri dicat J. Bittremieux, « Ephemerides theologicae lovanienses », 3 (1926) pag. 233 sq.

[2] *Mediatrix. Eine mariologische Frage.* Innsbruck 1925, pag. 320: cfr. pag. 252-256.

demisse. Dicit quidem rectissime nullam cerni impossibilitatem in eo, quod Maria *pro omnibus aliis hominibus* possit esse causa redemptionis. Sed quod non possit esse causa salutis *pro se ipsa*, ita distinguit, verbis latinis utendo: « causa physica: C., moralis (subordinata): N. ». Et ex iis, quae paucis lineis ante dicit, infero eum velle affirmare quod Maria sit causa non solum recipiens propriam salutem — id quod suo modo de omnibus salvatis valet — sed etiam causa « efficiens (moraliter) subordinata » propriae redemptionis. Possent fortasse defensores talis sententiae etiam provocare ad verba S. Irenaei (*Adv. haer.*, 3, 22, 4): « Et sibi et universo generi humano causa facta est salutis ».

At nulla apparet via, qua Maria sibi primam gratiam mereri potuerit. Quare alii theologi simpliciter negant Mariam se ipsam redemisse. « Propriam Redemptionem non potuit Maria mereri, sed hanc meruit Christus Redemptor, ex vi axiomatis, quod principium meriti non cadit sub merito », ait I. Bittremieux [1]. Similiter loquitur Chr. Pesch [2]: « Proposita iam est hinc inde quaestio, an Maria etiam mediatrix omnium gratiarum pro se ipsa fuerit. Ad quam quaestionem, ut per se patet, negative respondendum est. ' Mediator autem unius non est ' ait S. Paulus (*Gal.*, 3, 20). Mediatio necessario supponit tres: duos nempe, inter quos mediatio fit, et mediatorem. Maria ergo inter Deum et nos, at non inter Deum et se ipsam mediatrix esse potest. Ipsa sibi apud Deum gratias meruit, plus quam omnes reliquae creaturae; at non omnes suas gratias meruit, e. g. non meruit gratiam immaculatae suae conceptionis ». Iam audivimus F. Q. Salazar dicentem de originali ac prima B. Virginis gratia: « Hanc enim sibi nulla ratione aut congruentia consequi virgo potuit ». Sed — ita addere licet — si B. Virgo se ipsam redemisset, hanc quoque gratiam sibi meruisset. Quare ad 2. difficultatem damus hoc

Responsum. Si Maria ullo pacto genus humanum redemisset, etiam se ipsam redemisset, dist. mai.: si genus humanum sensu

[1] « Ephemerides theologicae lovanienses », 2 (1925) pag. 394.

[2] *Die selige Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden.* Freiburg im Breisgau, 1923, pag. 39.

universali sumitur, prout et Mariam et Christum ipsum complectitur — nam etiam Christus prout homo nostri generis est, — conc. mai.; si genus humanum sumitur sensu restricto, prout hic sumi debet, sc. exceptis B. Virgine et Christo, nego mai.

Atqui non se ipsam redemit, conc. min.

Ergo nec genus humanum redemit, pariter dist. cons.: non genus humanum sensu universali sumptum, prout Mariam, immo Christum ipsum, comprehendit, conc. cons.; non genus humanum exceptis B. Virgine et Christo, nego cons.

At nondum omnis obscuritas dissipata est. Videtur enim aliqua species veri affulgere ex sententia: Maria se ipsam redemit. Nam genuit Redemptorem etiam suum. Et ita videtur vere cooperata esse ad suam ipsius redemptionem. — Posset quis retundere velle hanc obiectionem dicendo: Maria est etiam mater Creatoris, neque tamen ad suam ipsius creationem cooperata est; ergo a pari, quamvis sit mater Redemptoris, tamen non cooperata est ad suam ipsius redemptionem. At hoc responsum non plene satisfacit, deficiente paritate. Christus enim est creator secundum naturam divinam et per actionem divinam, redemptor vero est secundum naturam humanam a matre acceptam et per actionem elicitam ab humanitate, dignificatam a divinitate. Ergo videtur omnis redemptio, etiam ipsius Mariae, dependere a Maria, quae libero consensu substantiam suam Verbo incarnando subministravit. At ex altera parte non videtur esse ita, quia, ut liberum hunc consensum daret, iam fructu redemptionis donanda erat. In similes conicimur angustias, si rem ex parte praevisionis divinae consideramus. Nam Deus ex una parte videtur in signo rationis priori praevidisse redemptionem et deinde decrevisse gratias, quibus Maria ad consensum suum praepararetur; ex altera parte videtur prius praevidisse Mariae consensum et consequenter redemptionem futuram. An forte ita dici potest: Deus in signo rationis priori praevidit Verbi incarnationem *utcumque* absolute *futuram* atque redemptionem per Verbum incarnatum praestitam (redemptionem Mariae saltem); dein decernit fructus huius redemptionis Mariae applicandos et incarnationem *hoc modo,* nempe ex Maria libere consentiente, *futuram*?

3. DIFFICULTAS considerat *IPSUM OPUS REDEMPTIONIS IN SE*, quod scilicet videtur perfectum et absolutum, antequam Maria cooperari possit:

Deus in signo rationis priore, quam praevidit et acceptavit B. Virginis cooperationem, iam praevidit et acceptavit redemptionem Christi sine Mariae cooperatione perfectam. Nam post praevisam hanc redemptionem decrevit fructus eius Mariae applicandos, quae ita demum apta ad cooperationem, si quam praestare posset, evasisset.

Atqui sicut Deus praevidit ab aeterno, ita in tempore redemptio perfecta est.

Ergo redemptio perfecta est antecedenter ad Mariae cooperationem.

Pro hac et sequenti obiectione in hac saltem forma proposita non possum citare auctores, quia eam non apud auctores inveni, sed quidam lector theologiae occasione alicuius theseos eam mihi obiecit. Tamen principia diversarum solutionum ex auctoribus sumo, et quidem ex G. van Noort assertum de accidentali perfectione operi Christi per Mariam superaddita (vide verba in I parte, pag. 10 citata); ex aliis (Scheeben) doctrinam de maiore unitate inter Christum et Mariam. Solutiones autem nolunt esse plus quam tentamina, quibus forte alii ad melius responsum dandum excitentur.

Responsum 1. Si quis ergo contentus est eo, quod Maria per suam cooperationem tantum aliquam accidentalem perfectionem operi Christi adiecerit, potest ita respondere:

Dist. mai.: Deus ante Mariae cooperationem praevisam iam praevidit redemptionem Christi *essentialiter* perfectam, conc. mai.; *et essentialiter et accidentaliter* perfectam, nego mai. Conc. min. Pariter dist. cons.: Redemptio *essentialiter* perfecta est sine Mariae cooperatione, conc. cons.; *et essentialiter et accidentaliter*, nego cons.

Quae S. Paulus de se ipso dicit: « Adimpleo, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (*Col.*, 1, 24) eminenter valent de B. Virgine. Ipsa siquidem omnibus nobis de congruo meruit, quae Christus de condigno; et

de congruo pro omnibus peccatis satisfecit, pro quibus Christus de condigno. At haec operatio, si consideratur tantum ut operi Christi perfecto accidentaliter superaddita, postoperatio potius dicenda est quam cooperatio. Fontes autem videntur cooperationem asserere. Quare et aliud responsum tentamus.

Responsum 2. Distinguimus redemptionem qua Christus matrem ac sponsam Mariam redemit sibique acquisivit, et redemptionem qua cum Maria cooperante reliquos redemit, non quo duos realiter distinctos actus redemptivos Christi vellemus ponere, sed salva reali unitate redemptionis, quae si salvari non posset, praeiudicium magnum contra hanc solutionem crearetur. In forma respondemus:

Deus antequam praevidit et acceptavit Mariae cooperationem, iam praevidit et acceptavit redemptionem Christi, *quatenus per eam mater et sponsa Christi Maria redempta est*, conc. mai.; *quatenus per eam nos redempti sumus*, nego mai. Conc. min. Par. dist. cons.: *Redemptio Mariae* perfecta est sine eius cooperatione, conc. cons.; *redemptio nostra*, nego cons.

Ad salvandam autem sufficienter unitatem actionis redemptivae Christi, fortasse in Christo *duae intentiones* distinguendae sunt, ad analogiam primae et secundae intentionis, quas sacerdos in uno sacro litando facere potest. In prima intentione Christus totam redemptionis plenitudinem effudit in unam Beatam Virginem Mariam, mulierem Evam novam, Sponsam Christi, typum Ecclesiae; in secunda dein unita cum Virginis voluntate nobis redemptionem acquisivit. Ex parte Dei Patris duplicem haberemus acceptationem: Christi Filii sui opus acceptat primo pro B. Virgine, dehinc idem opus unitum cum Virginis opere pro nobis acceptat.

Illustrari potest solutio per exemplum Evae. Eva vitam suam naturalem a solo Adamo habet; pro omnibus filiis autem Adami debuit suo modo cooperari ad transfundendam vitam naturalem et supernaturalem. A simili Maria a Christo solo habet vitam suam supernaturalem; processit e latere Christi, sicut Ecclesia; sed pro omnibus reliquis Maria cum Christo est causa salutis. Vide verba Ambrosii Catharini supra laudata.

4. Difficultas similis est priori, sed speciatim *ex sacrificio Christi* petitur, quod videtur esse perfectum, antequam Maria cooperari potuerit. Arguimus ita:

Cooperatio B. Virginis in ipso sacrificio crucis videtur impossibilis. Nam: In signo rationis priore, antequam Deus decrevit Mariae primas gratias dare, iam praevidit sacrificium Christi perfectum; quia primas gratias B. Virginis ut fructus huius sacrificii decrevit. Atqui sine his gratiis Maria non potuit cooperari. Ergo Deus praevidit Christi sacrificium sine Mariae cooperatione perfectum fore, et ita in ordine rerum vere perfectum est.

Responsum 1. Si iterum accidentalis perfectio sacrificio Christi superaddenda admittitur, haec potuit addi ex meritis infinitis sacrificii essentialiter perfecti. Quare sicut in responso 1. ad 3. difficultatem responderi potest per distinctionem inter sacrificium essentialiter et sacrificium etiam accidentaliter perfectum: In signo rationis priore, antequam Deus decrevit Mariae primas gratias dare, iam praevidit sacrificium Christi *essentialiter* perfectum, conc. mai.; *etiam accidentaliter* perfectum, nego mai. Conc. min. Pariter dist. cons.: Deus praevidit Christi sacrificium sine Mariae cooperatione *essentialiter* perfectum fore, conc. cons. (ex mente eius, qui accidentalem tantum perfectionem superaddendam admitti posse censet); *etiam accidentaliter* perfectum, nego cons.

Responsum 2. Dist. mai.: Deus praevidit sacrificium Christi *pro Mariae redemptione* perfectum ante Mariae cooperationem, conc. mai.; *pro nostra redemptione*, nego mai. Conc. min. Pariter dist. cons.: Sacrificium pro Mariae praeredemptione sine eius cooperatione perfectum et ut perfectum acceptatum est, conc. cons.; pro nostra redemptione, nego cons.

Instatur. Atqui sic statuuntur duo Christi sacrificia cruenta, id quod est inauditum in theologia et contra *Hebr.*, 9, 28: « Christus semel oblatus est ».

Responsum. Negatur subsumptio. Vere unum est Christi sacrificium cruentum. At in hoc uno et unico sacrificio duplex dualitas inesse videtur; una est respectu eorum, pro quorum salute offertur, eamque illustrare saltem, licet non plene explicare, per

duas intentiones sacerdotis celebrantis conamur, siquidem Christus prima quasi intentione sacrificium pro matre sua obtulit, dein secunda pro nobis. Altera dualitas in eo cernitur, quod duae personae, Christus et Maria, ad hoc unum sacrificium offerendum concurrunt. Manet quaestio quomodo stante hac dualitate unitas sacrificii salvetur; et quomodo omnino Maria cum Christo cooperetur.

Aliquis cooperationis modus hisce verbis exprimitur: « Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam ministravit, qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque, atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram ». Ita ait Pius X [1]. Et in hoc potissimum, quod ad aram hostiam stitit, videtur exercuisse munus diaconae sacrificii, de quo vide, si libet, Scheeben, *Dogmatik*, III (1882) pag. 606-608, n. 1798 et 1799. Sed an forte etiam plus fecit in ipso Christi sacrificio?

Estne possibile Christi et Mariae actionem ad unicam actionem sacrificalem concurrere? Excludi debet a limine omnis coordinatio, quia « solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator », ut ait Angelicus doctor (*S. th.*, III, q. 26, a. 1). At servata debita subordinatione videtur via aliqua patere, si quis consideraverit sacrificium non qua ens physicum sed qua ens morale valorem suum coram Deo habere. Iam vero ens morale est ens sui generis, quod in suo ordine potest numerice et per se unum esse, quamvis in ordine physico complures entitates complectatur. Ita senatus ut collectio multarum personarum est ens physice *per accidens* numerice unum; idem ut ens morale, puta ut societas quaedam, est numerice *per se* unum. Atque senatus consultum, etiam subiective spectatum, quamvis actionibus physice multis constet, ut ens morale est unum numerice et per se. Nonne ad similem unitatem unici sacrificii duorum sacrificantium voluntates convenire possunt, si unam eandemque hostiam, in qua ius aliquod licet diversum habent, communi voluntate Deo offerunt? Maria « materna in Fi-

[1] ASS., 36, (1903-04) pag. 453.



lium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit »[1].

Optandum sane est, ut communi multorum theologorum inquisitione et disceptatione tandem veritas de B. Mariae Virginis in opere redemptionis cooperatione maiore luce radiet ad laudem et gloriam Christi et beatae eius Matris[2].

AUGUSTINUS DENEFFE S. I.

[1] BENEDICTUS XV; AAS, 10 (1918) pag. 182.

[2] Opus nuper editum ab I. BITTREMIEUX, *De mediatione universali B. Mariae Virginis quoad gratias*, Brugis 1926, in scribendo hoc articulo adhiberi nondum potuit.

English and American Modernism

PART I.

Modernism, the Creeds and Christology.

Summarium. — MODERNISMUS INTER ANGLICANOS ANGLIAE ET AMERICAE. — Pars I. *Modernismus, Symbola et Christologia.* — Finis Auctoris est exponere quomodo se habeat Modernismus inter Anglicanos nostrae aetatis, ut, dum sermo fit de reditu populorum anglica lingua loquentium ad Ecclesiam catholicam, ac praesertim de quadam eorum fractione, quos vocant « Anglo-Catholicos », verba et facta rectius interpretari possimus. Censet A. in Anglia et America Modernismum quasi quamdam pestem ita multorum Anglicanorum animos invasisse ut spem praecludat reditus illius quem tantopere catholici desiderant et tam studiosa oratione a Deo petunt.

Ratio autem est quod modernistarum mentes ad fidem iterum accedere vix aut ne vix quidem possunt; existimant enim se ultra fidem processisse et devenisse ad puriorem et altiorem veritatem; asseverant se « nucleum » revelatarum veritatum retinere, abiecto cortice mythorum, superstitionum, mysteriorum et miraculorum. Dum Christus hortatur nos ut puerorum simplicem animum imitemur, ipsi auctoritatem omnem et magisterium repudiant.

Non definit A. Modernismum, quoniam, dum describitur quomodo neget veritatis catholicae doctrinas, quomodo se habeat erga Symbolum fidei et integrum ordinem supernaturalem, satis iam notum fit, eo exsurgente resurgere omnes antiquas haereses.

A. I. — Auctori licuit adesse annuo Conventui Anglorum modernistarum (Oxonii, anno 1925). In quo audivit disserentes de quaestionibus quae in nostris catholicis Theodiceis tractantur: quomodo in Deum credamus; quid de Deo credamus. Miratus est autem nihil prorsus dictum esse de argumentis quibus S. Thomas probat Deum exsistere. Ad solam « experientiam religiosam » appellatum est; ex qua sane nulla certitudo, sed mera probabilitas oriri potest. — Deum vero neque ut omnipotentem, neque ut omnia scientem, neque ut ubique praesentem descripserunt, cum neque « experientia religiosa » neque sensus divina attributa percipere possit. Vere mirum erat audire eos qui catholicos credulitatis accusant, fundamentum fidei ponere « religiosam experientiam », quae toties iam atque etiam recens apparuit esse fons superstitionum homine indignarum. Satis est meminisse Mormonismum, « Christian Science », cetera.

Quam suam mirationem cum A. coram omnibus invitatus expressisset, responderunt, multos revera timere ne ex illa methodo et ex « nova » quam

dicunt « psychologia » grave periculum crearetur fidei. Religiosam enim experientiam dicit nova illa psychologia nihil tandem aliud esse quam animi quamdam commotionem, ad eam ergo non esse attendendum, nihil ex ea probari.

Quidam orator in Oxoniensi Modernistarum Conventu anno 1924 sic locutus est de « nova psychologia »: « Imminet nostris diebus pugna inter religionem et psychologiam, maxime illam quam nunc vocant « novam psychologiam », quae conatur investigare tum occulta motiva actionum humanarum, tum praesertim fontes occultos fidei. Quaerit illa psychologia, e. gr. num oratio aliud sit quam auto-suggestio, num religio non sit puerilis modus vitam aestimandi, nevrosis, cetera ». Viros autem de quibus sermo est in S. Scriptura, S. Paulum, Iobum, Ecclesiasten, examini accurato subiecit eosque iudicavit omnes nervis laboravisse; ausa est ipsam perfectam Christi Domini naturam analysi submittere blasphemiasque suas proponere ut conclusiones novae scientiae.

II. — Exsistitne supernaturale? Si ad verba attendis, utique. Modernistae enim Anglicani nolunt lectores offendere; malunt, prout fieri potest, antiquas voces usurpare iisque vestire novos conceptus. In hoc est maximum periculum. E. gr., negant miracula, dum asseverant se supernaturale minime abicere. Contra, Rev. J. W. Thompson dicit negationem miraculorum conditionem esse ut nostra aetate supernaturale admitti possit a viro exculto. Et a. 1924 Oxonii Rev. J. C. Hardwick dicebat verbum « supernaturale » posse certo usurpari ad designandas altiores formas exsistentiae, quales sunt vita et intelligentia, quamvis revera conceptus ille possit dici superfluus. — Recesserunt modernistae a crassiori materialismo ultimi saeculi ac libenter agnoscunt spiritualitatem animae et immanentem spiritum divinum in universo creato; hoc autem est quod vocant « supernaturale ». Gratia vero sanctificans non exsistit; solo facto creationis omnes homines sunt filii Dei; non fuit peccatum originale; homo a statu animali ad dignitatem humanam surrexit.

III. — Quid autem de Christo sentiant, nunc videamus. — Vitam Christi narrant Evangelia. At modernistarum fundamentale principium est, omnia quae in Evangeliis miraculum sapiant, vel expungenda esse, vel explicanda; critica ergo utendum esse. Critica vero usi, inveniunt in Novo Testamento tres Christi Domini descriptas figuras: primam, perfecte humanam, miraculis non deformatam, quae historica est; alteram, qualem sibi S. Paulus propriam effinxit; tertiam, praeexsistentem Christum, Verbum, ignoti philosophi Ephesini illius qui dictus est esse Ioannes Apostolus.

Criticae illius exitus hic est. Christus est purus homo, non est Deus. Traditionalis doctrina est abicienda; immo asseverat Prof. Kirsopp Lake: « Iesus nunquam se dixit Deum » et addit: « Doctrina quae centrum est theologiae catholicae, ignota erat Iesu et illis discipulis qui primum de eius vita rettulerunt ». De Natali die festo Domini alius scribit: « Adoratio Iesu Infantis idololatria est ». — Quid ergo cogitant cum Iesum « divinum » di-

cunt? Dr. Major ait: « Divinitas Christi apparuit in eius perfecta humanitate. Non est abyssus magna inter divinam naturam et humanam generaliter consideratam... Solus ille potest credere Incarnationem, cui persuasum est relatione intima coniungi inter se ubique in natura rerum divinum et humanum... (Ceterum) Iesus non se dixit Filium Dei sensu metaphysico, sed sensu morali... ».

[4] De qua re animadvertit Rev. P. A. Vermeersch, S. I., principium illud quod loco citato enuntiaverit B. Bellarminus, iam quodam modo latuisse in loco aliunde difficili Sancti Thomae (III[a], q. 64, a. 8, ad 2). Dicit enim S. Thomas: « Alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae cuius est minister; *in verbis* autem quae profert, *exprimitur intentio Ecclesiae*; quae sufficit ad perfectionem sacramenti nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum ». Quam doctrinam ad rem nostram sic applicat P. Vermeersch: « Iamvero Baptistae adhibent materiam et formam requisitam. Errant in interpretatione rei quam faciunt, seu in fine propter quem agitur. Sed voluntate praevalente facere volunt quod Christus instituit et praecepit. Nituntur enim ipsi verbis Christi: 'Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit'. Non dicunt Baptistae: 'Nolo ut ille Baptismus sit signum practicum gratiae'. Nec obstat mentio-

Adhuc Benedictus XIV [1] haec ad rem facientia verba gravissima habet:

Caveat Episcopus ne incertam et dubiam pronuntiet Baptismi validitatem hoc tantum nomine quod haereticus minister a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi prout a Christo Domino fuerit constitutum... Sacramenti enim validitati non officit privatus ministri error, cui praevalet generalis eiusdem ministri intentio faciendi quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia.

Iamvero Baptistas — dico veteres et « orthodoxos » — in Baptismo intendere *ritum sacrum quem Christus instituit*, est extra dubium, quantumvis aperte errent circa eiusdem ritus finem seu effectum.

Neque per se obstat generalis istius intentionis firmitati quod minister expresse monet baptizandos ne credant Baptismum habere ullum effectum in animam, aut dicit ipsum esse signum mere externum aggregationis illorum sectae. Nam in alia decisione eiusdem Sacrae Congregationis [2], ubi quaestio fuit de Methodistis, et ubi praecise haec facta in petitione exposita fuerant, et propositum fuerat dubium:

1. Utrum Baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuit a ministro antequam baptizet, Baptismum nullum habere effectum in animam.

Sacra Congregatio respondit:

Negative; quia non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia.

nem interdum introduci in ipsam administrationem erroris sui, dum mentio ista valori nocere potest Matrimonio, quia in Matrimonio, quis se obligat quantum consensu externo indicatur. Proinde non acceptat Matrimonium indissolubile in casu adulterii quando adulterium memoratur ut causa dissolutionis. In casu autem praesenti consensus praecedit actionem, sed non est forma sacramenti. Haec forma est a Christo determinata. Sufficit igitur voluntas conferendi et recipiendi signum institutum a Christo. Consensus naturae istius signi est extraneus ».

[1] De Synodo, lib. 7, cap. 6, n. 9.

[2] Dec. 18, 1872.

Nullum igitur patet effugium ab hac conclusione: error ministri circa efficaciam Baptismi, vel etiam explicita declaratio eiusdem erroris tempore Baptismi, per se non infirmat eius generalem intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Dixi per se; nam adhuc manet quaestio quam magni faciunt adversarii. Quid si error sectae in ipsam formam sacramenti inducatur? Fateor solutionem eo difficiliorem evadere; tamen manet firma, iuxta principia certa.

Contra validitatem, argumentum principale ducit laudatus Dr. Donovan ex epistola « Apostolicae Curae » Pontificis Leonis XIII s. m.[1]. In illo documento Pontifex sibi finem proposuit « in Ordinale Anglicanum rursus studiosissime inquirere ». Quaestio igitur fuit de validitate ordinationis ut conficitur apud Anglicanos; et inquisitione peracta, Pontifex confirmavit priores decisiones quibus ordinationes illae apud Anglicanos iam antea in Ecclesia Catholica habebantur tamquam nullae et invalidae. Ratiocinatio qua haec conclusio stabilitur, valde subtilis est, tamen undequaque firmissima. Longum est omnia percurrere; verum brevis saltem argumenti conspectus nobis videtur necessarius.

Pontifex igitur in paragrapho octava illius Epistolae inquirit in sufficientiam formae in ordinatione presbyteri. Et perpensis omnibus verbis quae in Ordinali Anglicano possent proponi tamquam forma determinativa sacramenti, concludit haec verba ex se non sufficere ad significandam veram ordinationem sacerdotis. Sic enim scribit ipse Pontifex:

Nam ut caetera praetereantur quae eas (preces) demonstrent in ritu Anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu Catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticet quod deberet proprium significare.

Tunc in paragrapho nona idem dicit de forma ordinationis episcopi:

Quum ea pariter deminuta sit verbis quae summum sacerdotium declarent... Inde fit ut, quoniam sacramentum Ordinis verumque Christi sacerdotium e ritu Anglicano penitus extrusum est, atque adeo in con-

[1] Sept. 18, 1896; Gasparri, *Fontes*, III, pag. 494.

secratione episcopali eiusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac iure possit conferri.

Demum in paragrapho decima pergit interpretari totum Ordinale Anglicanum, praesertim ex adiunctis quibus conditum fuit et publice constitutum; et ex factis historicis bene notis hoc praecipue Anglicanis arguit, quod,

(Catholicae) liturgiae ordinem,... ad errores Novatorum multis modis deformarunt. Quamobrem toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii, consecrationis, sacerdotii, potestatisque consecrandi et sacrificii offerendi; sed immo omnia huiusmodi rerum vestigia,... sublata et deleta sunt de industria.

Hucusque Pontifex totam vim argumenti haurit ex defectu formae sacramenti. Ad finem autem paragraphi decimae, ulterius progreditur. Dicit enim:

Cum hoc igitur intimo *formae defectu* coniunctus est *defectus intentionis*... De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat: at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia... Contra, *si ritus immutetur* eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti, tunc palam est non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

Et sic tandem sumus in cardine rei. Hoc enim generale principium vehementer appellat laudatus Dr. Donovan in nostro casu. Dicit: hoc praecise fecerunt Baptistae: mutaverunt *ipsum ritum* Baptismi eo consilio ut suos errores exprimerent; quo facto, iuxta regulam a S. P. Leone XIII enuntiatam, iam non potest ipsis attribui intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Quaeri potest autem utrum necne exsistat inter duas causas perfecta paritas. Contra, censemus inter eas haud mediocre intercedere discrimen. Namque preces quae in Ordinali illo Anglicano retentae sunt, ex se sunt omnino insufficientes. Quoniam deficiunt in essentialibus; ne exprimunt essentialem quidem significationem actionis impositionis manuum; ideoque Pontifex ante omnia explicite repetit ordinationis invaliditatem *ex insufficientia formae qua*

talis. « Non ea forma potest esse apta et sufficiens quae id reticet quod deberet proprium significare »[1].

Quodnam autem essentiale elementum formae Baptismi reticetur in forma Baptistarum? Illa forma continet invocationem Sanctissimae Trinitatis, exprimit actionem baptizandi, personam baptizandam designat; immo verbatim retinet totam formam quae in Ecclesia Catholica Latina adhibetur. Nimis evidens igitur est eorum formam *qua talem* sufficere ad exprimendam significationem actionis quam facit Ecclesia. Ergo si illa forma deficit, deficit non ratione sui, sed unice ratione *defectus intentionis* cum quo necessario connecti diceretur. Quod si verum est, iam deficit paritas inter causas ordinationis apud Anglicanos et Baptismi apud Baptistas. Relicta igitur prima ratione quam Summus Pontifex Leo XIII adducit, invaliditas Baptismi in nostro casu niti deberet tandem aliquando sola secunda, quam Pontifex exprimit illis verbis: « Si *ritus immutetur* eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia,... (tunc)... necessariam *intentionem* deesse ».

Fateor quidem verba illa, si omnino seorsim ab eorum contextu considerentur, posse quodam modo applicari adiunctis quae habentur circa Baptismum ut plerumque confertur a Baptistis. Sed, ut in rebus iuridicis, sic etiam in doctrinalibus, nihil minus tutum quam promiscua eiusdem regulae applicatio casibus diversis. Potius quam haerere in illis verbis ab eorum contextu avulsis, nostrum sit ex toto Pontificalis Epistolae contextu haurire rationem fundamentalem qua illa regula nititur. Cur importat mutatio formae etiam defectum intentionis? Quia, si ex adiunctis colligitur Novatoribus id in animo esse ut consulto a forma Catholica detraherent quidquid essentiam sacramenti designaret, haec intentio quasi negativa praevalet intentioni generali positivae quae ceteroquin praesumitur, faciendi nempe quod Christus instituit. Et ideo praecise Pontifex singula rerum adiuncta accurate perpendit, et ex hoc fonte, videlicet ex tota historia auctorum illius Ordinalis, colligit incunctanter praevaluisse apud eos istam intentionem negativam.

[1] Genuinum sensum huius Epistolae « Apostolicae Curae » bene explicat laudatus Dr. Schaaf, in « Ecclesiastical Review », aug. 1926.

Iamvero potestne idem dici de Baptismo sicut a Baptistis confertur? Imprimis notandum est quod iam diximus, eos de forma Catholica nihil omnino detraxisse, sed tantum aliquam ei fecisse additionem. Deinde etiam quod ad istam additionem, non videtur esse rigorose praescripta, neque quod scimus in ullo libro rituali invenitur. Etiam si admittimus valde usitatam esse illam formam his novis verbis auctam, tamen res videtur relinqui arbitrio cuiusvis ministri Baptismum conferentis. Praeterea, verba illa non clare exprimunt, sed ad summum innuunt aliquam intentionem ponendi signum nudum potius quam efficax. Sub talibus adiunctis autem quaeritur ubinam sit in ipso ritu clara externa expressio illius intentionis negativae quae praevaleret positivae intentioni generali faciendi quod instituit Christus? Quis dubitat quin, si rogares ministrum baptizantem, non quidem « qualem finem vis attingere? », sed « qualem actionem vis ponere? », responderet, « actionem baptizandi quam instituit Christus, sicut legimus in Sacra Scriptura »?

Propter diversitatem causarum igitur censemus regulam istam in solutione quaestionis omnino diversae latam, rei nostrae minime certam habere applicationem; neque constare invaliditatem Baptismi ut a Baptistis confertur, sive ratione formae, sive ratione intentionis ministri.

Quid tandem censendum est de Modernismo qui in illa secta iam late diffusus est? Num hic potest invalidare sacramentum Baptismi, scilicet a ministro modernistico collatum? Per se, non. Directe enim fides ministri nihil facit ad rem, dummodo veram materiam et formam rite adhibeat, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Indirecte tamen Modernismus radicalis in collationem sacramentorum potest inducere corruptionem, mediante nimirum notabili negligentia in ipsa applicatione materiae et formae. Itaque, semel concessa lata diffusione Modernismi, — quam putamus nos satis demonstrasse — iam fieri non potest quin ministri in praxi parvi pendant conditiones debitae applicationis materiae et formae ut in Sacra Scriptura praescriptae inveniuntur. Neque credibile est istos novos ministros Baptistas — quasi Novatores in ipsa secta Novatorum — in praxi servare sollicitudinem eorum praedecessorum, qui utpote Sacram Scripturam magnopere colentes, summam habuerunt reverentiam pro Baptismo tamquam ritu a Do-

mino praescripto. Hoc utique a priori dictum est. Tamen idem de facto contingere experientia docet. Nam factum iam nobis a multis hominibus renuntiatum est. Ideo parochi Catholici in Statibus Foederatis neo-conversi ab haeresi abiurationem vix umquam accipiunt quin eumdem saltem conditionate baptizent. Et cur sic agere solent? Sane non propter fictam aliquam praesumptionem invaliditatis Baptismi haereticorum, sed quia inquisitione facta in singulis casibus, plerumque manet dubium prudens utrum minister haereticus, siquidem Baptismum aliquo modo conferre curaverit, ipsam materiam et formam rite adhibuerit necne.

Apud Baptistas, cum hoc sacramentum conferre non soleant nisi adultis, inquisitio de priori Baptismo ex ipso baptizando sat facilis est. Neque praetermittenda. Namque, ut iam tertiam partem nostrae quaestionis breviter expediamus, regula practica pro re nostra vix accuratius posset enuntiari quam exprimitur sequentibus verbis S. C. Sancti Officii in illo responso iam citato[1]:

Qua super re Amplitudo Tua ante oculos habeat regulam generalem iam saepe traditam ab hac S. C., et praesertim in die 10 Martii 1824, quam in pluribus aliis casibus similibus confirmavit, quaeque est tenoris sequentis: ' Quoad venientes a sectis, e. g. Quakerorum quas notum est vel Baptismum minime ministrare vel invalide conferre, ipsos, dum in sinu Ecclesiae recipiuntur, solemniter baptizandos esse. Quoad vero illas, ut sunt Anglicani, apud quas non solum pueri baptizantur, verum etiam ex eorum libris ritualibus constat Baptismum rite conferri, non oportere baptizari, sed recipi abiuratione errorum et absolutione a censuris. Spectandos tamen esse casus particulares de quibus agitur. Nam fieri potest ut causa abusuum qui asseruntur in sacramenti Baptismi administratione introducti, vel ob aliquam circumstantiam, grave suboriatur dubium de aliquo defectu nullitatem Baptismi inducente, tunc Baptismum secreto, sub conditione *si non sit persona baptizata,* conferendum esse '.

Ex hac regula probe intelliges quod si in hac materia possibilis foret quaedam generalis praesumptio in principium practicum convertenda, haec non quidem ex defectibus et abusibus ministrorum differentium sectarum esset derivanda, sed praesertim ex indole, natura, et consuetudine actuali earundem sectarum. Quare, cum in casu de

[1] Ian. 24, 1877.

quo agitur, sermo sit de secta Methodistarum in qua Baptisma confertur, et de ministris huius sectae, qui de facto Baptismum solent administrare, duo tantum in quaestionem cadere possunt, videlicet: 1. Utrum ritus administrandi Baptismi, ab ista secta in istis regionibus retentus, aliquid contineat quod illius nullitatem inducere valeat; 2. Utrum talis sectae ministri de facto sese conforment praescriptionibus in propria eorum secta sancitis.

Et sic, salvis melioribus iudiciis, quaestioni finem imponamus [1].

T. L. Bouscaren, S. I.

[1] P. Vermeersch, S. I., generali nostrae conclusioni consentiens, haec pro Matrimonio practica corollaria adiicit:

1. Baptista contrahens cum parte non baptizata, hodie sed non ante Codicem, facit Matrimonium canonice validum. Ratio est quia Codex suppressit impedimentum disparitatis cultus inter haereticum et infidelem.

2. Contrahens cum parte baptizata probabiliter confert et recipit sacramentum. Probabiliter, quia ex dictis non constat de nullitate Baptismi Baptistae. Ergo, si Matrimonium istud est consummatum, nulla auctoritas, ne ecclesiastica quidem, potest dissolvere istud Matrimonium. Namque se exponeret periculo tentandi dissolvere Matrimonium ratum et consummatum, quod ne Summus Pontifex quidem potest.

De Problemate criteriologico

I. — Prooemium — Partitio Problematis critici.

Quanti momenti fiant quantoque studio a plurimis versentur, nostris praesertim temporibus, quaestiones circa cognitionis theoriam, quam criteriologiam, epistemologiam, gnoseologiam, noeticam vocant, vel ex eo facile quisque conicere potest si considerat quem locum quamque partem quaestiones illae obtinuerint in Congressu philosophico thomistico habito Romae 15-20 aprilis 1925. Unde ab re forte non videbitur breviter hic nonnulla, quae ad hanc materiam spectant, attingere, quaeque statum actualem quaestionis illustrant.

Quomodo problema criticum ponendum sit? Quaenam sint eius partes, quaenam partium ad invicem relationes?... Quomodo quaestio de valore cognitionis sensilis ad quaestionem de valore cognitionis intellectivae se habeat?... Quaenam solutiones hucusque propositae sint, tum a non scholasticis, tum praesertim a scholasticis? Quid valeant?... Quomodo cum Idealismo agendum? [1] etc. Ecce nonnulla argumenta, quae tunc in Congressu discutienda proponebantur. De his quaedam consideranda occurrunt, quae hic breviter exponere in animo est.

Ceterum scopus huius dissertationis non est polemicus, non intendimus pugnare cum scepticis aut idealistis, neque indicare viam aptissimam ad adversarios profligandos. Finis noster est: methodice exponere atque ordinare problema criteriologicum, generale eius schema exhibere, iuxta principia Philosophiae scholasticae, maxime Doctoris Angelici.

Problema criteriologicum in sua forma generalissima, prout nostris temporibus tractari solet, sic exprimi potest: « *an* et *quid* sit *veritas, certitudo, criterium* cognitionis nostrae? Quae tria (ve-

[1] Cfr. *Congr. Philos. Thom.*, schema praevium.

ritas, certitudo, criterium) causaliter inter se connexa sunt; nam certitudo se habet ad veritatem cognitionis per modum effectus, criterium vero per modum causae.

Dispescitur itaque problema generale in duas partes: in quaestionem *an sit?* et in quaestionem *quid sit?* (cfr. S. Thom., *In II Post. Anal.*, lect. 1).

Prima pars problematis scil. « *an sit veritas, certitudo, criterium?* » constituit *problema praeliminare criteriologiae* ac respicit controversiam cum *Scepticismo* qui nullam certitudinem, nec veritatem, nec criterium admittere se asserit. Est problema praeliminare, quia agitur de possibilitate atque exsistentia cuiuscumque scientiae, ipsius criteriologiae non excepta.

Secunda pars problematis critici scil.: « *quid sit veritas, certitudo, criterium?* » constituit *proprium* et *principale problema criteriologicum.* Agitur vero in hac secunda parte problematis imprimis de hoc utrum *veritas* et *certitudo* et *criterium* sint aliquid *obiectivum,* an mere *subiectivum* [1]. Unde haec secunda pars spectat

[1] Ad confusionem omnem vitandam iuvat statim ab initio clare definire ac determinare, quid per *obiectivitatem* seu *realitatem* cognitionis intelligamus. Cognitionem dicimus esse obiectivam seu realem, si habet aliquod obiectum *reale,* seu *extrasubiectivum* (sensu *critico,* prout opponitur *subiecto cognoscenti qua tali,* seu ipsi *cognitioni*), *realiter distinctum* et *independens a cognitione,* quod actualiter *exsistit,* aut saltem *exsistere potest extra cognitionem,* et a quo ipsa cognitio *determinatur* ac *mensuratur.* — Rem egregie explicat R. P. Gredt: « Cognitionem obiectivam esse pure etymologice et simpliciter sumi potest pro eo quod est cognitionem habere obiectum. Sed cum omnis cognitio necessario habeat obiectum, — cognoscere enim est *obiective* habere aliquid, — de obiectivitate cognitionis ita intellectae non posset disputari. At quaeri potest, num obiectum, seu id quod obversatur, sit *aliquid reale* (sive physicum sive metaphysicum) *distinctum* et *independens a cognoscentis consideratione, ab actu cognitionis.* Quae quaestio est de obiectivitate cognitionis. Cognitio igitur *obiective* dicitur, *quae habet obiectum reale, extra cognitionem seu distinctum a cognitione et a termino per cognitionem producto* (distinctum a specie expressa), i. e. obiectum *extramentale, extrasubiectivum;* contra cognitio mere subiectiva est, quae habet *obiectum* intramentale seu ideale tantum, non distinctum a cognitione et a termino ideali (a specie) per cognitionem producto, obiectum cuius totum « *esse* » est « *percipi* ». (Gredt, *De cognitione sensuum externorum, inquisitio psychologico-criteriologica circa Realismum criticum et obiectivitatem qualitatum sensibilium* ». Romae, 1913, n. 43). Haec notio de obiectivitate cognitionis plane consonat his

controversiam cum *Idealismo* et *Phaenomenalismo* nec non cum *Positivismo* et *Agnosticismo*, quae systemata quandam certitudinem et veritatem admittere volunt, sed aut mere *subiectivam*, aut *sensitivam* tantum.

Idealismus seu *subiectivismus*, ut notum est, aut est *acosmisticus* seu *physicus*, qui negat obiectivitatem seu realitatem *cognitionis sensitivae* et *ordinis physici* seu *rerum sensibilium*, aut est *transcendentalis* seu *metaphysicus*, qui negat obiectivitatem seu realitatem cognitionis *intellectivae* et ordinis *metaphysici* seu *intelligibilis*, realitatem scil. rerum *immaterialium* nec non *idearum* et *principiorum omnium universalium*, aut, tandem, est *absolutus*, qui negat obiectivitatem utriusque cognitionis, tam *sensitivae* quam *intellectivae*, et utriusque ordinis, tam *physici* quam *metaphysici*, unica realitas quae admittitur est realitas actualis cognitionis (cf. P. Gredt, *De cogn. sens. ext.*, n. 44).

Positivismus non tam obiectivitatem cognitionis intellectivae, quam ipsam exsistentiam eius negat et experientiam sensuum tamquam unicum fontem cognitionis admittit, sic destructo ordine metaphysico necessario relabitur in *Idealismum transcendentalem* et *Phaenomenismum*, si sibimet ipsi cohaerens esse vult.

Si *Idealismum* cum *Positivismo* comparamus, videmus *Idealismum* unum extremum tenere atque peccare per *excessum* ex parte subiecti et cognitionis quia admittit cognitiones nostras esse mere subiectivas, adeoque ipsum obiectum in cognitionem convertit, *Positivismum* vero alterum extremum occupare et peccare per *defectum* ex parte subiecti et cognitionis, quia negat ipsas *cognitiones* ordinis suprasensibilis seu intelligibilis, et in hoc differt ab Idealismo, in consequentiis tamen necessitate logica incidit in Idealismum transcendentalem et Phaenomenismum, adeo verum est quod dicitur: extrema se tangunt.

quae dixit R. P. Geny in Congressu thomistico: « Iam ponitur problema idealisticum: quid sunt ista phaenomena, quae immediate apprehendimus? suntne *mera* phaenomena quae mens ipsa sibi obiicit, quorum unicum *esse* sit *percipi*, an res a perceptione *distinctae* et ab ea *independentes*, a quibus contra perceptio pendeat?... Quaeritur enim utrum phaenomena sint *aliquid praeter ipsam cognitionem*, cognitionem regulans seu *mensurans*, an mera modalitas cognitionis, ab ipsa mensurata ». (*Congr. tomist.*, Romae, 1925. Communicat., ser. I, n. 4).

Divisio nostra problematis critici prorsus coincidit cum illa quam P. Geny in sua communicatione in Congr. thomist. exposuit: « Problema de cognitionis nostrae valore in duo problemata divido, quae *problema scepticum* et *problema idealisticum* voco. In priori quaeritur *utrum ullam veritatem certo possideamus;* respondetur nos saltem de phaenomenis, quae nobis apparent iudicia certo vera facere posse; sic de *scepticismo* actum est. Sed tunc ultra quaeritur *quid sint* ista phaenomena, utrum eis quaedam « *res in se* » menti manifestentur et quales: et hoc est *problema idealisticum* » (*Congr. thom.*, Communic., series I, n. 4).

Hoc problema idealisticum, quod principale problema criteriologicum dicendum est, iterum apte in duo dividi potest: 1) De realitate vel obiectivitate *iudiciorum*, 2) De realitate vel obiectivitate *conceptuum* [1]. Ultima haec divisio fundata esse videtur et rationabilis. Ordo enim cognitionis nostrae intellectivae duplici elemento constat: *formali* altero, altero *materiali*. Elementum *formale* ordinis logici est iudicium seu *compositio* et *divisio*, in qua sola veritas et falsitas invenitur. Elementum *materiale* sunt conceptus seu *intelligentia indivisibilium* sive *incomplexorum*, in qua neque veritas neque falsitas per se invenitur [2]. (Cfr. S. Thom. *In III De Anima*, l. 11; *in IV Metaph.*, l. 6; *De Verit.*, q. XIV, a. 1).

Primum itaque membrum problematis idealistici considerat elementum *formale* seu *iudicium*, secundum elementum *materiale* seu *conceptum*. Hae duae quaestiones quamvis arctissime inter se connectantur, non identificantur tamen, sed formaliter inter se distinguuntur. Possumus enim praescindere a realitate subiecti, de quo fertur iudicium, et quaerere utrum actus iudicii seu praedicatio, ipsa connexio subiecti et praedicati procedat a subiecto cognoscente, ex quodam caeco instinctu, an determinetur a subiecto iudicii quodcumque demum illud sit, sive habeat obiectivum valorem, sive non.

[1] Cfr. Card. Mercier, qui in sua *Criteriologia* hanc divisionem prosequitur.

[2] Tertia mentis operatio seu ratiocinium a primis principiis procedit et ad prima principia resolvitur (cfr. *S. theol.*, I, q. 79, a 8), unde non est aliud quam iudicium mediatum et sub respectu criteriologico ad secundam mentis operationem reducitur.

Et re vera, possibile est, aut saltem fingere possumus, subiectum iudicii habere quandam realitatem, praedicationem vero ipsam seu synthesim iudicialem esse mere subiectivam, non determinari a subiecto propositionis, sed a subiecto cognoscente, ita fere sicut de iudiciis syntheticis a priori ordinis physici et mathematici statuit Kant. Et vice versa, cogitare aut fingere aliquo modo possumus subiectum de quo fertur iudicium, non habere valorem obiectivum, esse affectionem mere subiectivam, phaenomenon, — eius tamen compositionem aut divisionem cum praedicato, seu synthesim iudicialem esse obiectivam, non determinari a subiecto cognoscente, sed ex ipso subiecto propositionis, etiamsi illud non habeat realitatem éxtrasubiectivam. In hoc casu iudicium erit obiectivum, quia habebit obiectum distinctum a se, a quo dependeat et determinetur, scil. subiectum propositionis prius cognitum de quo fertur iudicium, etiamsi hoc ipsum subiectum propositionis non sit aliquid obiectivum et reale, ita fere sicut Kant de iudiciis analyticis ordinis metaphysici asserere cogitur; et sicut fere accidit circa entia rationis formaliter sumpta, de quibus iudicia obiectiva ferre possemus, quamvis ipsa haec entia realitate careant.

Itaque sicut *obiectivitas conceptus* aut *ideae* consistit in eo, quod conceptus habet aliquod obiectum a se distinctum et independens, a quo determinatur, ita *obiectivitas iudicii* consistit in eo, quod iudicium habet aliquod obiectum a se distinctum et independens (nempe subiectum de quo fertur iudicium), a quo iudicium determinatur.

Sunt qui diversis nominibus utuntur ad significandam obiectivitatem iudiciorum et conceptuum, — hanc « realitatem » vocant, illam vero « obiectivitatem ». Quamvis haec optime adhiberi possint, nos tamen non insistimus in hac terminologia, quia, ut vidimus ex P. Gredt, obiectivitas sensu critico idem significat ac realitas cognitionis, scil. « habere obiectum distinctum et independens a cognitione », a quo ipsa cognitio dependet, determinatur, mensuratur. — Unde promiscue usurpare licet in re critica utrumque terminum: obiectivitas et realitas cognitionis.

Si tandem quaeritur, quae obiectivitas prius a nobis cognoscatur: iudiciorum aut conceptuum, respondendum est cum distinctione: si agitur de *cognitione absolute*, dicendum est prius cognosci realitatem conceptuum quam realitatem iudiciorum, nam incomple-

xorum cognitio praecedit cognitionem complexorum, «quia non potest esse compositio et divisio, nisi simplicium apprehensorum» (*In I Periherm.*, l. 1). Si vero agitur non de cognitione absolute, sed de *certa* cognitione, tunc dicendum est certitudinem de realitate iudicii saltem natura priorem esse quam certitudinem de realitate conceptus, nam certitudo nonnisi in iudicio invenitur, iam vero in omni *certo* iudicio cognoscitur, saltem *in actu exercito*, obiectivitas ipsius iudicii; obiectivitas vero conceptuum nonnisi remote, quatenus ipsum iudicium obiectivum supponit aliquam simplicem apprehensionem obiectivam (affirmatio supponit simplicem apprehensionem affirmabilitatis).

Et quia in criteriologia de *certa* cognitione quaeritur, ideo ordo logicus postulat, ut *primo* loco consideretur quaestio de *obiectivitate iudiciorum*, *secundo* vero quaestio de obiectivitate seu *realitate conceptuum* [1].

[1] Quamvis possimus aliquo modo praescindere obiectivitatem iudiciorum ab obiectivitate conceptuum et sic methodice considerare unam sine altera, quia *formaliter* inter se distinguuntur, tamen obiectivitas iudiciorum *implicite* et *materialiter* includit et supponit obiectivitatem et realitatem conceptuum, ideo si quis negaret *universaliter* realitatem *omnium* conceptuum, *implicite* et *ex consequenti* negaret etiam obiectivitatem iudiciorum. Nam ipsum iudicium intantum est obiectivum seu independens a cognoscente, inquantum nexus subiecti et praedicati, seu eorum identitas, est aliquid obiectivum et independens a cognoscente, iamvero haec identitas subiecti et praedicati, priusquam affirmatur per iudicium, cognoscitur per simplicem apprehensionem comparativam ut *affirmabilitas unius de altero*, nam secus subiectum non exigeret potius hoc praedicatum quam aliud, et praedicatum non conveniret potius huic subiecto quam alii. Unde saltem hic conceptus *affirmabilitatis* praedicati de subiecto debet esse obiectivus seu independens a cognoscente. Unde obiectivitas iudiciorum *implicite* et *materialiter* supponit obiectivitatem conceptuum. Unde si quis admittit obiectivitatem iudiciorum, *implicite* admittit iam obiectivitatem aliquorum saltem conceptuum, et qui negaret *universaliter* obiectivitatem *omnium* conceptuum, negaret *implicite* etiam obiectivitatem iudiciorum.

Iterum, ex altera parte, quamvis possimus praescindere obiectivitatem conceptuum ab obiectivitate iudiciorum, quia illa *absolute* et *materialiter* prius cognoscitur quam haec, attamen nihil possumus de illa *obiective iudicare*, nihil *affirmare cum certitudine*, nisi supposita obiectivitate iudiciorum, ut patet.

Hinc apparet quam arcte revera et indivisibiliter utraque haec obiectivitas inter se cohaereat et coniungatur.

II. — Problema scepticum.

His praesuppositis, ut recta via procedamus, incipiendum est examen nostrum a *problemate praeliminari,* seu a problemate *sceptico. An exsistat certitudo, veritas, criterium?*

Aliis verbis, *habemusne certitudines? utrum cum certitudine veritatem assequi possimus an non?* Quam positionem problematis P. Jeannière[1] incongruam vocat. Non tamen videmus cur non sit ponendum eiusmodi problema. Plane consentimus cum his quae R. P. Boyer aiebat in Congr. thomistico: « Aristoteles (*I Top.,* c. 3) docet problema esse interrogationem qua quaeritur utrum aliquod praedicatum conveniat alicui subiecto necne, et addit formam problematis cuicumque interrogativae propositioni posse tribui. Patet autem quamcumque propositionem mutari posse in interrogativam. Cum igitur propositio dari possit, quae valorem cognitionis humanae affirmet vel neget, fatendum est ex hac propositione formari posse problema, quod sic se habebit: Utrum cognitio humana valorem habeat necne? scilicet, utrum cum certitudine veritatem assequi possimus, an non?

Licetne istud problema, quod criticum vocatur, ponere? Affirmandum sane est. Etenim id quod in philosophia speculativa non est legitimum, est error. Error autem nonnisi in propositione categorica, affirmante vel negante, seu in enunciativa, « in qua sola invenitur verum et falsum » (*I Periherm.,* c. 4), invenitur. Porro, error accidere quidem potest cum quaestioni respondetur, non autem per hoc solum quod quaestio ponitur. — Sed progrediamur. Cum hoc problema sit quaestio, quae de utraque parte contradictionis interroget, licebitne argumenta quae pro utraque parte congeruntur, audire et considerare? Procul dubio licebit, nam argumentorum consideratio per se nullam adhuc affirmationem vel negationem continet, ideoque ab omni errore vacat. Immo philosopho, cum sane ad illum pertineat de cognitione nostra tractare, eiusdemque cognitionis, sicut cuiusvis philosophiae obiecti, naturam et essentiam penetrare, non tantum licitum, sed conveniens atque

[1] Jeannière, *Criteriologia,* Paris, 1912, pag. 93.

necessarium est, argumenta omnia quae contra valorem cognitionis allata sunt vel afferri possunt, colligere et ponderare. Quod iam, pro magna parte, cum Aristoteles in IV *Metaphys.*, tum S. Thomas, in eiusdem libri commentario, summa cum diligentia fecerunt ». (*Congr. thom.*, Romae, 1925. Communicat., ser. I, n. 1).

Quaestio haec *de aptitudine cognitionis nostrae ad veritatem assequendam* resolvitur in quaestionem *de statu initiali mentis* in principio criteriologiae omnisque scientificae inquisitionis. Si enim non certo constat de aptitudine mentis ad verum, status initialis erit dubium universale, — si vero certo constat de aptitudine mentis, status initialis erit certitudo.

Quaenam igitur erit solutio problematis de aptitudine mentis ad veritatem? Respondeo exsistere *veritates immediate evidentes, prima principia per se nota,* ut v. gr. *principium contradictionis,* circa quas veritates dubium est absolute impossibile, ita ut ne per momentum quidem subsistere possit. Intellectus coram illis veritatibus nequit remanere suspensus, sed necessario cogitur ad assensum certum. « Proprium autem est horum principiorum, quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum... Quaedam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo in interiori ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori, quae est per vocem. Et huiusmodi sunt *communes animi conceptiones* ». (*In I Poster. Anal.*, l. 19). « ... quorum contrarium nullus credere mente potest etsi ore proferat » (*In I Poster. Anal.*, l. 5), Cfr. *In IV Metaph.*, l. 6; *S. theol.*, I, q. 82, a. 1 et a. 2; q. 85, a. 6; *De Verit.*, q. XIV, a. 1.

Unde sequitur *scepticismum absolutum* qui dubium universale circa omnes veritates profitetur, *ut factum, impossibilem esse, ut doctrinam* vero contradictionem involvere, quamvis falsitas eius ipsis scepticis ostendi nequeat. Scepticismus universalis, *ut factum,* est suspensio assensus certi circa omnes veritates, sed eiusmodi suspensio circa omnes veritates est impossibilis, quia, ut modo diximus, sunt quaedam veritates immediate evidentes (maxime *principium contradictionis*), quae necessitant intellectum ad

assensum certum. Scepticismus universalis, *ut doctrina*, est iudicium quo asseritur dubium universale, aut quo negatur omnis certitudo. Sed omne iudicium, sive certum, sive opinativum, supponit et includit implicite principium contradictionis certo cognitum, unde scepticismus universalis, ut doctrina, necessario aliquam certitudinem supponit, seu idem affirmat et negat, implicite affirmat quod explicite negat, hinc involvit contradictionem.

Unde status initialis in principio criteriologiae non est *dubium universale,* sed est *certitudo de veritatibus immediate evidentibus, certitudo primorum principiorum,* maxime *certitudo principii contradictionis.* In qua certitudine immediate, licet in actu exercito, cognoscitur ipsa aptitudo mentis ad veritatem cum certitudine assequendam.

Quid ergo? Admittendae sunt tamquam initium philosophiae *tres veritates fundamentales,* nempe *principium contradictionis, exsistentia propria, aptitudo mentis ad verum cognoscendum,* seu principium primum, factum primum, conditio prima?[1].

Distinguendum esse puto: Si nihil aliud affirmatur nisi veritates illas tres esse *immediate evidentes* et *implicite includi* in omni iudicio, non est cur theoria haec impugnetur. Si vero asseritur illas veritates eo sensu esse fundamentales ac primitivas, quod *praesupponantur* ad omne certum iudicium, — hoc sensu iterum distinguendum est: Praesupponuntur omnibus iudiciis certis in ordine *ontologico* (seu essendi), concedo, — in ordine *logico* (seu cognitionis), subdistinguo: praesupponuntur ut prius cognitae *implicite* et *in actu exercito,* et per modum *simplicis apprehensionis,* — concedi potest. — Praesupponuntur ut *prius* cognitae *explicite,* aut *in actu signato,* aut per *modum iudicii,* seu ut « *certo cognitae* », — hoc sensu negandum esse videtur assertum.

De solo quippe *principio contradictionis* affirmari cum veritate potest illud esse *omnium primum principium* et *fundamentum omnis certitudinis,* non quidem per modum praemissae sed per modum

[1] Cfr. BALMES, *Filos. fund.,* lib. I, c. IV sqq. — TONGIORGI, *Inst. Log.,* p. II, l. I, c. III, prop. V. — PALMIERI, *Inst. Phil., Log. Crit.,* c. I, thes. V. — PESCH, *Inst. Log.,* Pars II, vol. I, lib. I, disp. I, sect. II, thes. III. — FRICK, *Log.,* Pars II, lib. I, cap. II, art. 5, thes. XI — et alii.

formae implicitae in omni iudicio certo. « Sciendum est, quod, cum duplex sit operatio intellectus: una, qua cognoscit quod quid est, quae vocatur indivisibilium intelligentia; alia, qua componit et dividit; in utroque est aliquid primum: in *prima* quidem *operatione* est aliquod primum, quod cadit in conceptione intellectus, scilicet hoc quod dico *ens*; nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur ens. Et quia hoc principium, *impossibile est esse et non esse simul,* dependet ex intellectu entis... ideo hoc etiam principium est naturaliter primum in *secunda operatione* intellectus, scilicet componentis et dividentis. *Nec aliquis potest secundum hanc operationem intellectus aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto.* Sicut enim totum et partes non intelliguntur nisi intellecto ente, ita nec hoc principium: omne totum est maius sua parte, nisi intellecto praedicto principio firmissimo » [1].

De aliis vero duabus veritatibus « primitivis » haec affirmari nequeunt.

Quod attinet *exsistentiam propriam,* illa cognoscitur quidem in omni iudicio, quatenus in omni iudicio cognoscitur *adaequatio* seu *conformitas intellectus* proprii *et rei.* Sed cognitio haec est *implicita* et *in actu exercito,* et quatenus agitur de cognitione *praevia* ad iudicium, est *per modum termini incomplexi,* non vero per modum iudicii, in quo solo veritas et certitudo inveniri potest. Itaque exsistentia propria neque in prima, neque in secunda operatione est primum cognitum intellectus nostri, ideoque nequit dici stricte veritas fundamentalis. Unde S. Thomas loquendo de intellectu nostro ait: « Haec autem lux *non est primum cognita* a mente, neque cognitione qua scitur de ea *quid est,* cum multa inquisitione indigeat ad cognoscendum quid est intellectus; neque cognitione qua cognoscitur *an sit,* quia intellectum nos habere non percipimus nisi inquantum percipimus nos intelligere, ut patet per Philos. *9 Ethic.* — Nullus autem intelligit se aliquid intelligere nisi inquantum intelligit aliquod intelligibile. Ex quo patet quod cognitio alicuius intelligibilis praecedit cognitionem qua quis cognoscit se intelligere, et per consequens cognitionem qua quis cognoscit se habere

[1] S. Thom., *In IV Met.*, l. 6. — Cfr. *In I Post. Anal.*, l. 20; Suarez, *Met. Disp. 3,* sect. 3.

intellectum ». (*In Boet. De Trin*,, q. I, n. 3). Ratio vero huius metaphysica est, quia intellectus noster ex se non est intelligens in actu, sed intelligens in potentia. Cfr. *S. theol.*, I, q. 87, a. 1; *In III De Anima*, l. 9; *De Verit.*, q. X, a. 8.

Similiter dicendum est de *aptitudine mentis*. Actualis aptitudo mentis ad verum assequendum cognoscitur quidem in omni iudicio certo quatenus cognoscitur actualis conformitas intellectus cum re, sed cognitio haec item est *implicita* et in *actu exercito* et quatenus est *praevia* ad iudicium, est per modum *simplicis apprehensionis* [1]. Re vera, in omni iudicio certo *veritas* invenitur, ut *cognita* in cognoscente, scil. *cognoscitur conformitas cognitionis cum re*, quae conformitas cognosci nequit nisi cognoscatur aliquo modo tum *exsistentia intellectus* tum eius *aptitudo ad verum*. Unde S. Thomas profunde rem declarans ait: « Cognoscitur autem [veritas] ab intellectu secundum quod intellectus reflectitur supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit *actum suum*, sed secundum quod cognoscit *proportionem eius ad rem*, quod quidem cognosci non potest nisi cognita *natura ipsius actus*; quae cognosci non potest, nisi cognoscatur *natura principii activi*, quod est ipse *intellectus, in cuius natura est ut rebus conformetur* ». (*De Ver.*, q. I, a. 9).

Ex dictis apparet tum exsistentiam propriam, tum aptitudinem mentis non esse primum cognitum neque primum affirmatum, *ut quod*, intellectus nostri, seu non esse primam veritatem, quae *explicite* et *signate* a nobis certo cognoscitur. (Cfr. R. P. Hugon, *Log. Crit.*, tr. 2, q. 2, a. 3).

Quia tamen illae veritates implicite et exercite in omni iudicio certo includuntur, ideo dici aliquo sensu possunt *fundamentales*,

[1] *Exsistentia* et *aptitudo mentis* dici possunt cognosci *natura prius* quam formatur iudicium, quia prius quam aliquid de aliquo *affirmatur*, cognosci debet *affirmabilitas* unius de altero, in qua affirmabilitate iam implicite debet cognosci tum *exsistentia propria*, tum *aptitudo mentis*, sed haec cognitio quatenus est *praevia* ad iudicium, non est per modum iudicii sed per modum *simplicis apprehensionis*, et haec ipsa cognitio per modum simplicis apprehensionis non est nisi *implicita* et *in actu exercito* et supponit aliam cognitionem *in actu signato* et *explicitam* alicuius obiecti, unde nullo modo est prima cognitio, neque per modum iudicii, neque per modum simplicis apprehensionis.

dummodo retineatur absoluta prioritas principii contradictionis per respectum ad duas illas omnesque alias veritates [1].

Itaque *unum* tantum est proprie dictum *primum* principium omnis veritatis et certitudinis, quod ut *certo cognitum* praesupponitur omni certae cognitioni, scil. *principium contradictionis*, «*firmissimum sive certissimum principium*», «*dignitas omnium dignitatum*». — (*In IV Metaph.*, l. 6).

De hoc principio asserit S. Thomas cum Aristotele tres conditiones verificari: 1) «Prima est, quod circa hoc non possit aliquis errare... circa quod non potest aliquis decipi, oportet esse notissimum». 2) «Secunda conditio est, ut sit non conditionale, id est non propter suppositionem habitum... sed oportet per se esse notum. Et hoc ideo quia ex quo ipsum est necessarium ad intelligendum quodcumque, oportet quod quilibet qui alia est cognoscens ipsum cognoscat». 3) «Tertia conditio est, ut non acquiratur per demonstrationem, sed... ut naturaliter cognoscatur». (*Ibid.*).

Debet itaque primum principium esse *notissimum*, ita ut nemo possit circa illud errare, nam «propter quod unumquodque tale et illud magis». Debet esse *non ex suppositione*, scil. non supponere ullam aliam veritatem certo cognitam. Debet tandem esse *inde-*

[1] Quando asserimus absolutam prioritatem principii contradictionis prae aliis veritatibus, intelligimus hoc principium praesupponi *in actu signato* (scil. *ut quod* cognoscitur) ad omne aliud iudicium. Quo apparet iam differentia primi principii a duobus aliis veritatibus fundamentalibus, quae nonnisi *in actu exercito* (scil. *ut quo*) aliquo modo praesupponuntur, seu praecognoscuntur. Quod quidem patet de cognitione primi principii saltem *implicita*. — Nam si *ens* est *obiectum formale* intellectus humani, necesse est, ut eius ratio, saltem *implicita*, cognoscatur *natura prius*, quam omnis alia ratio, quandoquidem obiectum formale est id, ratione cuius omnia alia cognoscuntur. Et idem valet de *primo principio* (sive in sua forma positiva; *ens est ens*, sive in sua forma negativa: *ens non est non ens*) respectu omnis alius iudicii. — Num vero insuper primum principium praesupponatur non solum *implicite*, sed etiam *explicite*, scil. utrum praecognoscatur per distinctum actum (natura aut etiam tempore prius ad omne aliud iudicium), — quaestio est psychologica, quam hic dirimere non intendimus. — Omnino tamen videtur, iuxta principia S. Thomae, affirmative esse respondendum, sicut etiam de conceptu entis (cognitione confusa actuali) per respectum ad omnes alios conceptus dicendum esse videtur. — Cfr. quae sapienter dicta sunt a Caietano in Commentario *De Ente et Essentia* (qu. I, Conclusio).

monstrabile, sed naturaliter (necessario) notum. Quae omnia conveniunt principio contradictionis et illi soli. Hoc universalissimum principium continet in se omnes veritates non quidem actu, sed potentia, et ipsum continetur formaliter implicite in omnibus veritatibus, exhibens universalissimam formam omnis certitudinis, « *nec aliquis potest secundum hanc operationem intellectus* [qua componit et dividit] *aliquid intelligere nisi hoc principio intellecto* ». (*Ibid.*).

Sic principium contradictionis est unicum et absolute primum principium, quod *ut certo cognitum* praesupponitur omni certitudini. Post ipsum vero et dependenter ab ipso principium omnis certae cognitionis est *certitudo primorum principiorum.*

Hoc est principium logicum *formale* et *complexum* omnis certitudinis. Si vero agitur de principio *materiali* et *incomplexo*, tunc eiusmodi principium est ipsa *prima simplicissima* et *communissima notio entis*, ex qua immediate efflorescit principium contradictionis, « in prima quidem operatione est aliquod *primum*, quod cadit in conceptione intellectus, scilicet hoc quod dico *ens; nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur ens* ». (*Ibid*).

Haec sunt duo principia veluti *constitutiva* omnis certitudinis: *formale* et *materiale.* Si autem agitur non de principiis *constitutionis* sed *generationis* certitudinis tunc addendum est tertium principium, secundum analogiam ad generationem naturalem. Nempe principio positivo et formali, tamquam *termino ad quem*, praesupponitur in via generationis tamquam *terminus a quo*, principium *negativum, ignorantia* aut nescientia, non methodica aut voluntaria, sed vera et realis, quae naturaliter praecedit in nobis acquisitionem primorum principiorum et cuiuscumque cognitionis.

Haec sunt tria principia *necessaria* in acquisitione omnis certae cognitionis: *principium formale, principium materiale* et *privatio,* sicut tria sunt, iuxta Philosophum, principia generationis omnis: *materia, forma* et *privatio*, quorum duo priora sunt principia *per se* et *constitutionis*, tertium vero est principium *per accidens* et *generationis* tantum. Cfr. *In I Phys.*, l. 12 et 13.

III. — Problema idealisticum.

I[a] PARS: *Obiectivitas iudiciorum.*

Accedamus iam ad principale problema criteriologicum, ad *problema idealisticum de obiectivitate cognitionis nostrae.* Agitur itaque nunc res cum idealistis. Adversarius ultro concedit nos habere quasdam certitudines, intellectum cogi ad assensum in quibusdam casibus, sed negat certitudines has esse obiectivas, contendit quippe iudicium proferri, seu unionem subiecti et praedicati peragi, ex quadam caeca necessitate subiectiva, non vero determinari ex evidentia obiecti.

Videamus quomodo statuenda ac solvenda sit haec quaestio. En quomodo ponitur problema a P. Jeannière [1]: « Certitudines, quas de facto habemus, et quae ab omnibus pro obiectivis et veris existimantur, scepticis non exceptis, suntne revera *obiectivae* et *verae* annon? » (pag. 94). « Id quod praesens menti sistitur, tamquam a statu subiectivo distinctum, estne revera aliquid *obiectivum*, an aliquid *subiectivum*? Proinde non agitur de realitate *intrasubiectiva* obiecti in cognitione certa repraesentati, de qua nemo umquam dubitavit, sed de eius realitate *extra-subiectiva, et quaeritur num persuasio nostra de realitate extra-subiectiva obiecti possit mente iustificari* » (pag. 96).

Hanc positionem problematis P. Jeannière genuinam vocat variisque modis eandem exprimit.

Sic: 1[a] expressio (per respectum ad *veritatem* iudicio expressam): « quaeritur utrum *rei iudicio expressae* (et proinde habenti esse aliquod ideale in mente) *aliquid respondeat extra iudicium* et *a iudicio independens*. Haec est « *quaestio de ponte* » seu de transitu ab ordine *subiectivo* ad ordinem *obiectivum* ».

2[a] expressio (per respectum ad *certitudinem*): « si *certitudo* (status subiectivus) originem ducit ex causa subiecto interna dicenda erit *subiectiva*; si oritur ex causa subiecto extranea, certitudo erit *obiectiva*. Hinc quaeritur: *qua ratione oritur in nobis certitudo? ex causa nobis interna an externa?* ».

[1] Jeannière, *Criteriologia.* Paris, 1912.

3ª expressio (per respectum ad *iudicium* in quo est veritas et certitudo: « Cum *iudicium, cui inest certitudo*, consistat in efficienda synthesi inter subiectum et praedicatum, quaeritur *utrum haec synthesis fiat sub influxu motivi cuiusdam a iudicante distincti, an e contra erumpat modo caeco ex eius subconscientia vel ex forma quadam subiecto a priori insita* ».

4ª expressio (per respectum ad *criterium*): « Ad detegendum utrum status certitudinis vel synthesis inter subiectum et praedicatum a causa *intra-subiectiva* oriatur, an a causa *extra-subiectiva*, requiritur signum quoddam vel *criterium*. Inde quaeritur: *exsistitne criterium? Quodnam est?* » (pag. 97).

Ut diximus initio discussionis problema hoc idealisticum bipartitum est. In prima eius parte agitur de *obiectivitate iudiciorum*, in secunda *de obiectivitate conceptuum*. Vidimus ibi etiam methodice prius tractandam esse obiectivitatem iudiciorum quam conceptuum. Consideremus itaque per ordinem utramque quaestionem, incipiendo ab obiectivitate iudiciorum.

Quomodo igitur statuenda est obiectivitas iudiciorum? Et quidem omnia iudicia non esse ope *ratiocinii* probanda aut iustificanda satis in aperto est, atque a Philosopho et S. Thoma assertum ac declaratum habetur, ubi contra eos disputant, qui existimabant omnium esse scientiam *per demonstrationem* et omnia *demonstranda* esse contendebant. (Cfr. *In I Post. Anal.*, l. 7 et ll. 31-35). Sed quaeri potest num saltem *per reflexionem* debeant *iustificari* seu *verificari* omnes nostrae cognitiones, omnia iudicia etiam *immediata*, ut de eorum obiectivitate constet.

Revera eiusmodi solutionem problematis critici a quibusdam auctoribus propositam esse neminem latet [1]. *Per reflexionem*, ut dicunt, debemus *verificare* omnia nostra iudicia spontanea atque videre utrum habeant motivum obiectivum an subiectivum, utrum sint determinata ab obiecto an vero a subiecto? Cui verificationi praemittendum esse dicunt *dubium negativum* circa omnes certitudines naturales seu spontaneas, utrum sint obiectivae an non. Facta igitur distinctione inter certitudinem *naturalem* seu spontaneam, et *philosophicam* seu reflexam, primam admittunt in ipso exordio cri-

[1] Cfr. Card. MERCIER, *Critériologie*; JEANNIÈRE, *Criteriologia*.

ticae inquisitionis, quoad secundam vero statuunt *dubium negativum universale*, donec *per reflexionem* certitudo *verificetur* eiusque obiectivitas statuatur.

Quid sentiendum de hac solutione? Quaestio haec dependet ab illa: *utrum in cognitione directa cognoscatur obiectivitas cognitionis, an non?* seu, *utrum in ipso iudicio directo cognoscatur iudicium illud determinari ab obiecto et illi conformari, an vero ad hoc opus sit novo iudicio reflexo?* Aliis verbis, agitur de hoc, *in quo actu veritas cognitionis formaliter, seu ut cognita in cognoscente, inveniatur?* utrum in iudicio *directo* an *reflexo?*

De hac quaestione tractat D. Thomas: « per conformitatem intellectus et rei veritas definitur. Unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit... Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest, sed tamen non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo, quod quid est. Sed *quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum.* Et hoc facit *componendo* et *dividendo* ». (*S. theol.*, I, q. 16, a. 2). Item: « cognoscitur autem [veritas] ab intellectu secundum quod intellectus *reflectitur* supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit *proportionem eius ad rem*, quod quidem cognosci non potest nisi cognita natura ipsius actus; quae cognosci non potest, nisi cognoscatur natura principii activi, quod est ipse intellectus, in cuius natura est ut rebus conformetur; unde *secundum hoc cognoscit veritatem intellectus quod supra se reflectitur* ». (*De Ver.*, q. I, a. 9).

Textum hunc egregie interpretatus est R. P. Boyer in suo opusculo: « *Le sens d'un texte de St Thomas* »[1]. Ex hoc commentario, in contextu et locis parallelibus nixo, patet S. Doctorem loqui non de reflexione distincta a iudicio directo, sed de reflexione quae in ipso iudicio directo involvitur, eiusque veluti essentiam constituit. Maxime hoc apparet ex comparatione cum *S. th.*, I, q. 16, a. 2 et *In VI Metaph.*, l. 4, ubi S. Doctor describit naturam *iudicii in genere* et satis clare insinuat actum, supra quem cadit reflexio,

[1] « Gregorianum », 1924, pag. 424-443.

esse simplicem apprehensionem (quae praecedit iudicium) et non aliud iudicium.

Praeterea *indirecte*, per reductionem ad impossibile, ostendi potest in ipso iudicio directo esse veritatem et certitudinem *obiectivam*, neque requiri *ex necessitate* aliud iudicium reflexum. Et re vera quaeramus, quid sit hoc motivum a quo determinetur noster assensus et quod per reflexionem demum obiectivum inveniri dicatur? Respondetur ab iis, qui hanc ineunt viam, esse *evidentiam obiectivam*, quae est *ultimum motivum certitudinis* et *criterium veritatis*. Et quid sit *evidentia obiectiva*? Est *perspicuitas* seu *intelligibilitas obiecti menti manifesta*, seu est *veritas ontologica actu causans veritatem logicam*, sive *conformitas obiecti et cognitionis, quae ab obiecto actu determinatur*. Haec evidentia cognoscitur *implicite* et *exercite, ut quo*, in iudicio *directo*; *explicite* vero et *signate, ut quod*, cognoscitur tantum per iudicium *reflexum*, quia solum per iudicium reflexum *explicite* et *in actu signato, ut quod*, cognosci potest ipse actus cognitionis eiusque conformitas cum obiecto.

Unde quaerere utrum vera et *obiectiva certitudo* sit solum in iudicio *reflexo*, an vero habeatur iam in iudicio *directo*, — idem est ac quaerere utrum ad veram certitudinem *obiectivam*, evidentia debeat cognosci *explicite* et *in actu signato, ut quod*, an sufficiat ut cognoscatur *implicite* et *in actu exercito, ut quo*?

Ad quaestionem sic propositam respondendum esse puto negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Si enim vera et *obiectiva certitudo* esset solum reflexa, in qua ipsa evidentia *explicite* cognoscitur, et certitudo directa, ut aiunt, spontanea et naturalis, in qua ipsa evidentia cognoscitur tantum *implicite* et *in actu exercito*, non esset veri nominis certitudo *obiectiva*, ita ut de ipsa, saltem negative, dubitandum esset, ipsaque iustificatione ac verificatione indigeret, tunc actum esset de omni certitudine obiectiva, — nam pari ratione deberemus negative dubitare de ipsa hac certitudine reflexa, et ipsa indigeret ulteriore verificatione et sic in infinitum.

Ratio huius in promptu est. Nam in ipsa *certitudine reflexa* (in qua *explicite* et *in actu signato* cognoscitur evidentia alicuius

veritatis) *evidentia* huius *evidentiae* non cognoscitur nisi *implicite* et *in actu exercito,* si igitur *implicita* cognitio evidentiae non sufficit ad veram certitudinem, tunc etiam in certitudine reflexa de ipsa evidentia veritatis, seu de criterio, non haberetur vera et obiectiva certitudo, si vero de criterio non habetur vera et obiectiva certitudo, neque de eo, cuius est criterium, vera et obiectiva certitudo esse potest. Et sic eundum esset in infinitum, sed « infinitum non est pertransire », unde actum esset de omni certitudine vera et obiectiva. Victas manus dare deberemus scepticismo universali. Qui exigit, ut *necessario* per *reflexionem* distinctam a directa cognitione veritatis omnes nostrae certitudines verificentur, vitare non posse videtur scepticorum argumentum quod *diallela* vocatur.

Quae omnia sic breviter reassumi possunt. Si asseritur in iudicio directo non esse certitudinem obiectivam, sed illud *necessario* per iudicium *reflexum* verificari et certificari debere, tunc de hoc ipso iudicio reflexo eadem redit quaestio. Nam si omne iudicium directum ad hoc ut sit *obiective certum*, deberet certum reddi per aliud iudicium reflexum, tunc idem affirmandum esset de iudicio reflexo, — par enim ratio est, nam eiusdem naturae est iudicium directum et reflexum, — nequit autem primum iudicium (directum) fieri certum per aliud iudicium (reflexum) incertum, unde de hoc altero iudicio, reflexo, redit quaestio, scil. ipsum iudicium reflexum, ut sit certum, deberet certificari per secundum iudicium reflexum, et hoc secundum per tertium, et sic in infinitum, — hinc si certitudo obiectiva in iudicio directo non inveniretur, tunc fatendum esset nos certitudinem obiectivam assequi non posse. Unde aliter dicendum est, nempe, certitudinem *directam*, ubi adest, esse veram certitudinem et non indigere ulteriore verificatione, nullamque esse necessitatem ut evidentia cognoscatur *explicite* et *in actu signato,* sed ad veram obiectivam certitudinem sufficere, ut cognoscatur *implicite* et *in actu exercito,* non *ut quod,* sed *ut quo.*

Itaque intellectus noster quamprimum cognoscit aliquam veritatem immediate et perfecte evidentem v. gr. principium contradictionis: idem non posse simul esse et non esse, statim acquirit certitudinem veram et obiectivam. Neque essentialiter differt cer-

titudo spontanea et naturalis a reflexa, scientifica, philosophica, — sed mere accidentaliter tantum [1].

Verum est in omni cognitione, etiam primorum principiorum, intellectum nostrum transire de potentia in actum, de statu imperfecto ad perfectum, ab ignorantia ad certitudinem. Et in hoc transitu apparet imperfectio et potentialitas cognitionis nostrae, non vero in transitu de certitudine subiectiva primorum principiorum ad eorumdem certitudinem obiectivam. Nam certitudo primorum principiorum statim, ut habetur, est essentialiter perfecta in ratione certitudinis; certitudo enim haec est necessarium fundamentum omnis certitudinis, *natura autem non deficit in necessariis* [2]. *S. th.*, I, q. 78, a. 4). Si vero aliter esset, seu si certitudo primorum principiorum statim, ut habetur, et ab ipsa natura non esset obiectiva et essentialiter perfecta, tunc, ut vidimus, nequaquam ad certitudinem obiectivam pervenire possemus, sed in Scepticismo haerendum esset.

Ex his patet, quid censendum sit de *dubio methodico negativo* circa obiectivitatem cognitionis, quod nonnulli solutioni problematis idealistici praemittere volunt. Nempe, si hoc dubium statuitur *universale* et *necessarium* ad solvendum problema idealisticum, tunc prorsus reiiciendum esse videtur, nam immediata et directa certitudo primorum principiorum est vera et obiectiva et essentialiter

[1] Minime negatur, per ea quae dicta sunt, maxima utilitas reflexionis in acquirenda certitudine, immo saepe, quando deest perfecta evidentia, reflexio est prorsus necessaria ad discernenda certa ab incertis, — sed agitur in Criteriologia quaestio theoretica num *semper*, in *omni* casu, *necessarium* sit *novum iudicium reflexum, distinctum a directo,* ad veri nominis certitudinem, ita ut nullum prorsus iudicium directum, neque ipsum principium contradictionis, sit certum, nisi accedat aliud iudicium reflexum. Contra eiusmodi assertum defendimus posse, immo debere exsistere quaedam principia quae tam perfecta fulgent evidentia, ut nullam *de necessitate* requirant reflexionem ad hoc ut stricto sensu *obiective vera* et *certa* sint, et nisi ita esset desperandum fore de certitudine. Eiusmodi principium perfecte evidens est imprimis *principium contradictionis,* aut *principium identitatis*; post ipsum vero multa sunt alia *prima principia,* seu veritates *per se notae quoad omnes,* quae simili evidentia gaudent.

[2] Ut patet, principium istud affertur hic per modum declarationis veritatis iam admissae, non vero per modum probationis et argumenti contra scepticum aut idealistam, quod esset petitio principii.

perfecta certitudo, nullaque de necessitate requiritur reflexio distincta ab illa, quae involvitur in ipso iudicio directo. Consequenter nullum requiritur *ex necessitate* et *universaliter* praevium dubium methodicum de obiectivitate certitudinis, sed standum est simpliciter verae et obiectivae certitudini primorum principiorum.

Immo eiusmodi dubium, si asseritur *universale*, est, *ut factum*, *impossibile*, quia nequit extendi ad veritates immediate evidentes, — *ut doctrina* autem *contradictionem* implicat, quia omne iudicium implicite includit et praesupponit aliquam veram et obiectivam certitudinem, saltem *principii contradictionis*.

Nihil tamen obstat quominus obiectivitas cognitionis nostrae, directe semel iam cognita, iterum *per reflexionem* consideretur eiusque conditiones et causae examinentur. Quae quidem reflexa cognitio *iuvat* ad melius intelligendam, explicandam, manifestandam obiectivitatem certitudinis, *nullatenus* tamen *universaliter necessaria* est ad veram obiectivam certitudinem habendam. Hoc examen reflexum cognitionis nostrae, si lubet, vocari potest verificatio aut iustificatio aut defensio iam habitae certitudinis, ad insinuandum certitudines nostras per reflexionem non debilitari, sed potius accidentaliter perfici et confirmari et corroborari. Unde, ad quaestionem, num omnes nostrae certitudines *debeant* verificari et iustificari per reflexionem, respondemus: « *non debent, sed possunt* ».

Itaque problema criteriologicum, tam scepticum, quam idealisticum (saltem quoad primam eius partem de obiectivitate iudiciorum, quam modo consideravimus) *neque potest neque indiget* solvi per *demonstrationem*, nam in ipsa positione eius iam includitur solutio et aliquatenus prospicitur. Quia tamen mens nostra eiusque natura et aptitudo ad veritatem non est primum obiectum intellectus nostri, ideo ipsa haec solutio problematis critici *directe* non cognoscitur nisi *implicite* et *exercite*, et sic aliquo modo *imperfecte*; *explicite* autem et *signate*, ac proinde *perfecte*, nonnisi per *reflexionem* cognosci potest.

Et in hoc est differentia inter intellectum humanum et angelicum. Angelus enim tamquam proprium intellectus sui obiectum cognoscit essentiam suam et intellectum et intelligere, unde statim *directe* et *perfecte* cognitionis suae naturam et capacitatem pene-

trat. « Est autem alius intellectus, scilicet *angelicus*, qui non est suum intelligere,... sed tamen *primum obiectum* sui intelligere est eius *essentia*; unde, etsi aliud sit in angelo secundum rationem, quod intelligat se intelligere, et quod intelligat suam essentiam: tamen *simul*, et *uno actu utrumque intelligit*: quia hoc, quod est intelligere suam essentiam, est propria perfectio suae essentiae. Simul autem, et uno actu intelligitur res cum sua perfectione. Est autem alius intellectus, scilicet *humanus*, qui nec est suum intelligere, nec sui intelligere est *obiectum primum* ipsa eius essentia, sed aliquid extrinsecum, scilicet *natura materialis rei*. Et ideo id quod primo cognoscitur ab intellectu humano est huiusmodi obiectum; et *secundario cognoscitur ipse actus*, quo cognoscitur obiectum; et *per actum cognoscitur ipse intellectus*, cuius est perfectio ipsum intelligere ». (*S. theol.*, I, q. 87, a 3).

(Continuatur).

A. Rozwadowski S. I.

NOTAE ET DISCEPTATIONES

De Causalitate Sacramentorum.

Nota circa difficultatem assequendi hac in re mentem Doctoris Angelici.

Obiectum huius notulae nihil est aliud quam proponere, non vero solvere, aliquam non levem difficultatem circa mentem D. Thomae in famosiori illa quaestione de modo quo Sacramenta N. L. efficiunt gratiam ex opere operato [1]. Famosior certe quaestio, cum iam ab ipsis primordiis systematis Scholastici, magnum exstiterit in ipsa dissidium inter clarissima Scholae lumina, quod sequentibus aetatibus ad haec usque tempora perpetuo perseveravit [2].

[1] Ne in immensum succrescat simplex expositio difficultatis quam intendimus, consulto ab adducendis auctoribus abstinebimus. Ceterum, quamvis plures tractatus, sive de Sacramentis in genere sive in specie, diligenter hanc quaestionem attingant, locum ipsum difficilem quem solvere clare nescimus disputatum non invenimus; unde operae pretium duximus eiusmodi locum proponere saltem atque evolvere per collationem cum aliis locis similibus vel probabiliter contrariis in ipso S. Doctore.

[2] Luculenter hoc dissidium suo tempore exsistens S. Bonaventura demonstrat, dum mitissime, ut assolet, mentem suam hac in re aperit, vel eo ipso, quod inter contrarias sententias anceps manere seligit. En Doctoris Seraphici conclusionem (In *l. IV Sententiarum,* dist. 1, p. 1, art. unicus, q. 4): « Probabilis est opinio, cum suis rationibus primo posita, quod Sacramenta respectu gratiae gratum facientis sint causa sine qua non, respectu vero characteris et ornatus sint causa efficiens, respectu denique efficaciae gratiae et sanationis potentiarum sint causa disponens. Probabilis etiam est alia opinio, quae negat, ipsis Sacramentis datam esse virtutem efficientem per modum qualitatis absolutae non relativae ».

Ac probabilitatem utriusque sententiae ab auctoritate theologorum repetit, qui primam vel alteram sententiam defendunt. Primam vero opinionem quasi alieno nomine seu propter probabilitatem extrinsecam defendit. Probationem enim aggreditur his verbis: « Aliqui volunt dicere... » qua finita ait: « His visis, manifesta est secundum ipsos responsio ad obiecta ». Tandem hoc pacto concludit: « Et patent hoc modo caetera obiecta secundum hanc opinionem. Et haec opinio est magnorum ».

Tunc venit ad alteram opinionem quam aggreditur his quidem verbis: « Est etiam aliorum magnorum circa hoc opinio diceptium... ». Hanc dum

Itaque haud parum de mente S. Doctoris hac in re disputatum est, ac profecto disputabitur, cum non facile difficultates quae hanc disputationem gignunt extricari possint.

Haec autem disputatio duplicem habet partem: 1ª, utrum docuerit Sacramenta gratiam physice efficere tantum *dispositive,* an vero etiam immediate physice in gratiam influere; 2ª, utrum Sacramenta gratiam *physice* causent an tantum *moraliter.*

Prima pars disputationis maxime evoluta est per principes Thomistarum Ioannem Capreolum et Cardinalem Caietanum, illo defendente Sacramenta efficere tantum *dispositive* gratiam [1], Caietano vero affirmante S. Thomam mutasse tandem sententiam atque in Summa (p. III, q. 62) docuisse Sacramenta esse causas immediatas gratiae sanctificantis, ita ut gratiam instrumentaliter physice efficiant.

Devicta autem sententia Capreoli ac paene exstincta propter auctoritatem Cardinalis Caietani aliorumque bene multorum et magno-

exponit manifeste in eam mente et corde inclinat, ut cum ait: « Huic positioni pietas fidei non repugnat, et ratio consentit ». Remque absolvit eadem animi propensione; ait enim: « Utraque harum positionum satis videtur probabilis, haec tamen mihi videtur ad sustinendum facilior, nescio tamen, quae sit verior, quia cum loquimur de his quae sunt miraculi, non multum adhaerendum est rationi. Concedimus igitur, quod Sacramenta novae legis sunt causa et efficiunt et disponunt, extenso nomine ut dictum est, et hoc securum est dicere; utrum autem plus habeant nec volo affirmare nec negare ». Atque haec S. Bonaventura. Saeculo XVI eruditissimus Cardinalis Toletus postquam sex sententias hac in re proponit; tres, quas antiquas vocat; tres vero, quas auctoribus sui temporis attribuit; alias etiam exsistere supponit cum ait: « Hae sunt praecipuae sententiae » (*In IIIam p.,* q. 62, a. 1).

[1] Quo melius pateat quam multae fuerint disputationes theologorum hac super re, notandum est etiam Capreolum disputasse cum Petro de Palude (*Sent.,* l. IV, dist. 22, q. 1, a. 3) circa mentem S. Thomae, quamvis isti auctores generatim adducantur ut eiusdem omnino sententiae; et vere sint defensores opinionis quae docet Sacramenta causare gratiam tantum *dispositive.* Hoc autem eo magis probat dissidium exstitisse inter thomistas antiquiores quod Capreolus vult ad concordiam reducere propriam et Petri de Palude sententiam. Agit enim de Sacramento Paenitentiae et ait: « Unde de illo ornatu quem ponunt Petrus (de Palude) et Bernardus de Gaunato et quidam alii, non multum expresse loquitur S. Thomas, quoad Sacramentum Paenitentiae, quantum potui perpendere in dictis suis ». — « Potest tamen dici quod in virtute, et sententialiter, et implicite, concedit talem ornatum, vel aliquam dispositionem ad gratiam, quae se habeat per modum actus primi, et non sit motus liberi arbitrii tantum ». Haec Capreolus, qui tamen nunquam in hoc puncto (*l. c.,* I *Ad argumenta Petri de Palude*) perfecte convenit in unum eumdemque sensum cum ipso Petro de Palude, ut cum ait: « Discurrendo ergo per argumenta Petri, dicitur quod primum argumentum implicat aliqua falsa, vel dubia », etc.

rum theologorum saeculi XVI et XVII, celebrior reddita est altera disputationis pars, atque acerrime disceptatum est utrum Sacramenta gratiam immediate *physice* efficiant an tantum *moraliter* [1].

Difficultas quam clare exponere contendimus, ad utramque disputationis partem, maxime vero ad primam pertinet, ac vere anxium potest quemlibet relinquere circa mentem D. Thomae in tota hac materia de causalitate Sacramentorum.

Locus unde eam desumo, est *Sententiarum*, l. 4, dist. 24, q. 2, a. 3 Solutio, et sic se habet:

« *Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, eiusdem est formam aliquam inducere, et materiam de proximo praeparare ad formam. Unde Episcopus in collatione ordinum duo facit; praeparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem, et ordinis potestatem tradit. Praeparat quidem et instruendo eos de proprio officio, et aliquid circa eos operando, ut idonei sint potestatem accipiendi: quae quidem praeparatio in tribus consistit, scilicet benedictione, manus impositione, et unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipatur; et ideo benedictio omnibus datur. Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei: et ita solis diaconibus et sacerdotibus fit manus impositio: quia eis competit dispensatio sacramentorum, quamvis uni ut principali, et alteri sicut ministro... Sed potestatis collatio fit per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet: et quia principalis actus sacerdotis est con-*

[1] Inter primarios defensores causalitatis moralis Sacramentorum recensentur Martinus et Bartholomaeus Laedesma et Melchior Cano, qui nervose sententiam hanc evolvit in *Relectione de Sacramentis in genere*, p. 4, nn. 34-78, eamque concinne atque acute defendit. Qua vero alacritate id faciat ex hac periodo perspici potest (*l. c.*, n. 68): « Quemadmodum ergo, inquit Cano, esset erroneum asserere, sanguinem Christi vel passionem vel humanitatem non esse veras causas nostrae iustificationis et gratiae (inde enim sequeretur, Christum hominem non fuisse causam, per quam hominum redemptio facta est: quod est haereticum); ita quoque error est manifestus negare, Sacramenta esse causas efficientes instrumentales nostrae salutis, gratiae et iustitiae, loquendo de causa morali ». Recte sane; quamvis non omnes defensores causalitatis physicae admittant Sacramenta etiam esse causas morales gratiae. Praeterea, cum conceptus causae moralis parum sit definitus, neque vox ipsa, causa moralis, inter antiquos ita frequenter ut nunc adhiberetur, illud etiam non parum negotii nobis facit quod neque ex omni parte cohaerent in hac re qui Sacramenta affirmant esse causas morales gratiae; nec plane dissentiunt ab hac opinione causalitatis moralis, multi ex antiquioribus Scholasticis qui Sacramenta causas morales gratiae non appellaverunt.

secrare corpus et sanguinem Christi, ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur ». Haec S. Thomas.

Ut locus melius pateat haec tria explicanda desumo: I. Sententiam illam ut iacet hic: *per manus impositionem datur plenitudo gratiae*, vere esse intentam a S. Doctore, ac doctrinam continere propriam ipsius. II. Quousque haec adversari videatur alteri etiam propriae Angelici Doctoris sententiae. III. Quomodo iste locus cohaereat cum illis sententiis de causalitate immediata physica vel morali Sacramentorum respectu gratiae.

I. Sententia est propria S. Doctoris, ab ipso pluries tradita, quod per manus impositionem immediate confertur gratia.

a) Hoc manifeste continetur in verbis allatis, ubi dicitur, *Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei.* Sufficit contextum legere ut res evidenter pateat. Gratia confertur ut dispositio ad recipiendum characterem. Gratia iam collata, tunc imprimitur character. Collatio gratiae et impressio characteris tempore disiunguntur, et character est posterior tempore gratia.

Adde quod hoc tradit Aquinas nulla coactus difficultate; non ut gravius quiddam explicet, a quo dum se extricare contenderet, fieri potuerit ut sententia probabili aliena, non sua, uteretur. Immo vero etiam haec affirmatio, quam profert S. Doctor, quae tantum ad decus quoddam atque ornamentum articuli inservit, non parum nocet opinioni praecipue intentae, quam articulus tuetur in conclusione, « ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotàlis imprimitur » [1].

Quod si aliquis adhuc dubitaret circa sensum verborum S. Doctoris, perpendat verba initio responsionis allata, « eiusdem est formam aliquam inducere, et materiam de proximo praeparare ad formam »; ac videbit, formam hic esse characterem, unde luce clarius est ex hoc loco pro priori ad characterem gratiam conferri iuxta S. Thomam.

Eadem ratione seu verborum evidentia patet agi in textu de impositione manuum quae praecedit traditionem instrumentorum. Si enim « in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur » atque Episcopus praeparat ordinandos ut eis

[1] Affirmatio quod per manuum impositionem datur plenitudo gratiae, ita nocet huic conclusioni, ut hac nostra aetate maxima pars theologorum S. Doctorem sequatur in illa priore affirmatione, atque hinc eum deserat in ipsa conclusione.

ordinis potestatem seu characterem tradat; manifestum est agi de praeparatione quae praecedit dationem calicis. Atqui inter partes huius praeparationis recenset S. Doctor quod « per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei » ordinandi, ergo constat agi in textu de impositione manus quae praecedit traditionem instrumentorum.

Praeterea, proportione servata, eamdem doctrinam tradit S. Thomas in hoc loco et quoad ordinationem sacerdotis et quoad ordinationem diaconi: atqui in ordinatione diaconi apertissime sermo est de collatione gratiae per manus impositionem ante impressionem characteris, idem igitur interpretandum est in ordinatione sacerdotii. Minor propositio huius syllogismi evidens est. Nam S. Doctor in eodem articulo docet imprimi characterem in diaconatu ad *ipsam libri dationem*, quae profecto posterior est manus impositione. Statuit autem hoc ad 5um in fine, cum ait: « exprimitur potestas eius (sc. diaconi) ad actum secundarium tantum, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum, et in hac potestate intelligitur alia, et ideo in ipsa libri datione imprimitur character ».

Tandem mens S. Doctoris hac in re est prorsus evidens ex dist. 25, q. 1, a. 1, *Sol. Ad primum*, ubi eamdem doctrinam repetit his verbis: « In impositione manuum non datur character sacerdotalis ordinis, ut ex dictis patet, sed gratia, secundum quam ad exsequendum ordinem sint idonei: et quia indigent amplissima gratia, ideo Sacerdotes cum Episcopo manus imponunt eis qui in sacerdotes promoventur; sed diaconis solus Episcopus ». Ex quibus planissimum esse constat propriam doctrinam S. Thomae esse, per manus impositionem immediate gratiam conferri in Sacramento Ordinis.

Hoc clare perspecto ex Commentariis in Magistrum Sententiarum, reliquum est ut ipsum investigemus in aliis operibus S. Doctoris. Duo autem praecipua loca sunt in quibus id ipsum invenire poterimus: 1) In *Comm.* in S. Paulum, *1 Tim.*, 4, 14; *2 Tim.*, 1, 6. — 2) In *Summa*, p. III, q. 84, a. 4, in c.

1) *In 1 Tim.*, 4, 14, ubi Apostolus ait: *Noli negligere gratiam, quae in te est; quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*: « Et haec impositio, inquit S. Thomas, significat collationem gratiae, non quod ministri dent gratiam, sed quod significant gratiam datam a Christo. Unde illorum est solum qui sunt ministri Christi. Et ideo dicit, Presbyterii vel Presbyteri, quia manus impositio alia est quae fit a diaconibus, et alia quae fit a presbyteris ». Hucusque S. Thomas. Ubi illud clarum est, quod scilicet in Ordine per manus impositionem confertur gratia.

Idem arguere licet ex alio loco S. Thomae *in 2 Tim.*, 1, 6 ubi legimus: « Quae (sc. gratia) est in te per impositionem manuum mearum, a quo, scilicet ordinatus erat episcopus. In qua manus impositione data est ei gratia Spiritus Sancti ». Atque haec S. Thomas.

Sane in utroque loco non nisi ex praeiudicio quodam posset quis negare agi de collatione immediata gratiae per impositionem manuum, sed hoc evidentius in postremo vim esset inferre verbis commentarii. In ipso enim non tantum est illa locutio *Per impositionem*, quae in aliquibus casibus instrumentum mediatum designare potest, sed huic adiungitur illa alia *In qua*, quae certe locutio de instrumento immediato quo gratia tribuitur intelligi tantum potest.

Immo vero etiam per haec verba *In qua* ostenditur plane consensus huius loci cum textu allato ex *IV Sententiarum*, dist. 24, q. 2, a. 3. Sicut enim ibi, verba, *In ipsa datione calicis*, clare indicabant immediate imprimi characterem sacerdotalem per dationem calicis; atque ibi etiam, ad 5um, verba *In ipsa libri datione*, docebant characterem diaconatus immediate imprimi per dationem libri, ita etiam verba haec, *In qua manus impositione data est ei gratia Spiritus Sancti*, intelligenda sunt de immediato influxu huius ritus ad gratiam producendam, quemadmodum in illo loco ex *IV Sententiarum* intelliguntur haec, *Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiae per quam ad magna officia sint idonei.*

2) Tertius est locus S. Thomae ubi eadem doctrina eodem modo traditur, nempe in III p., q. 84, a. 4 in corpore. Ita enim ait: « Respondeo dicendum quod impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi quibus manus imponuntur quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; et in Sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis: unde et *2 ad Timoth.*, 1, 6, dicitur: *Resuscites gratiam Dei quae est in te per impositionem manuum mearum* ».

« Sacramentum autem Paenitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiae, sed ad remotionem peccatorum, et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio ». Hucusque S. Thomas. Haec autem verba vel ex ipsa assidua repetitione quod per manuum impositionem abunde gratia tribuitur, de collatione immediata gratiae per hoc signum intelligenda videntur. Quod ex intimiori analysi ipsorum verborum magis patebit.

Primum igitur, quaestio est utrum requiratur manuum impositio in Sacramento Paenitentiae; responsio autem est negativa, quia hoc Sacramentum non est institutum *ad consequendam excellentiam gratiae.* Qua in responsione, vel potius argumentatione, implicite contineri videtur iuxta S. Thomam impositio manuum, in ritu scilicet sacramentali, directe atque immediate tendere ad productionem gratiae. Etenim iuxta argumentationem Angelici Doctoris, sive agatur de Sacramento characterem imprimente, sive non, hoc certe constat vel saltem praesupponitur, quod impositio manuum confert excellentiam gratiae: non igitur ad mentem ipsius S. Doctoris eam confert medio charactere inter impositionem manuum et gratiam.

Secundo, idem omnino, eadem manifesta probabilitate, patet ex prioribus verbis, quibus affirmatur impositio manuum in Sacramentis fieri ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum. Sacramentum autem efficit quod designat; et iuxta S. Doctorem impositio manuum non characterem sed gratiam designat.

Tertio, id ipsum magis constat propterea quod copiosus ille gratiae effectus illud esse dicitur, *quo illi quibus manus imponuntur quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet.* Ubi notanda sunt verba postrema, quae certe impediunt quominus praecedentia de charactere dicta intelligantur, cum prorsus absonum videatur verba haec, *copia gratiae*, characterem significare. Sensus igitur obvius est: per manus impositionem illi quibus manus imponitur, quodammodo similes redduntur ministris in quibus est supponenda copia gratiae.

Tandem hoc ipso quod characterem Ordinis commemorat S. Doctor, cum ait: *Et in Sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis*, haec ipsa interpretatio confirmatur. Nam nullatenus dicit neque explicite neque implicite hanc excellentiam potestatis tradi per manuum impositionem. Non explicite ut est manifestum; sed neque implicite, quia clarissime haec inter se cohaerent, supposita prius gratia abunde collata per impositionem manuum, antequam per traditionem instrumentorum conferatur illa excellentia potestatis in divinis mysteriis. Vel si admittimus S. Doctorem hic mutavisse sententiam, et tacite docuisse characterem imprimi per manuum impositionem, adhuc hoc supposito, nihil nos cogit ut credamus ipsum hic tenere per characterem gratiam conferri [1].

[1] Durum videtur affirmare S. Thomam mutasse hic sententiam circa collationem characteris in Ordine. Pari enim ratione esset admittenda mutatio pro Sacramento Confirmationis, siquidem eodem modo loquitur de imposi-

b) Prius est iuxta S. Thomam dari gratiam gratum facientem quam imprimi characterem.

Quo melius pateat, interpretationem hucusque traditam ad mentem esse Angelici Doctoris, iuvabit doctrinam ipsius referre, unde constat gratiam gratum facientem prius dari, quam imprimi characterem. Priorem autem gratiam voco quam characterem, non ordinem causae et effectus affirmans inter gratiam et characterem, sed absolute de lege ordinaria characterem non dari nisi post gratiam ubi eam obex non impedit.

Hoc desumo ex III p., q. 72, a. 7, atque ex I p., q. 43, a. 3. In primo loco quaeritur, utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens. Responsio autem haec est: « in hoc Sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes, et sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum. Ostensum est autem in I p., q. 43, a. 3, quod missio seu datio Spiritus Sancti non est nisi cum gratia gratum faciente. Unde manifestum est quod gratia gratum faciens confertur in hoc Sacramento ».

Nullum dubium est quin sub his verbis, *datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur*, character includatur; si ergo probare possumus quod illud quod prius includit vel significat *datio Spiritus Sancti* iuxta S. Thomam, est gratia gratum faciens, probatum erit assertum. Hoc autem nullo negotio eruitur ex I p., q. 43, a. 3.

Nam ibi S. Doctor investigat, utrum missio invisibilis divinae personae (seu datio, seu praesentia in aliquo nova quadam ratione) sit solum secundum donum gratiae gratum facientis.

tione manus et copioso eius effectu in utroque Sacramento. En verba ipsius: « Ideo manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; et in Sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis ». Iam vero, haec verba sunt q. 84, a. 4, atque in q. 72, a. 2 eiusdem tertiae partis expresse reducit ad chrisma materiam Sacramenti Confirmationis; quod etiam explicat *Ad primum* per oppositionem ad impositionem manus Apostolorum (*Act.*, 11, 15). Non ergo videtur probabile in q. 84, a. 4 tacite retractasse sententiam ad Confirmationem quod attinet; ac proinde neque quoad Ordinem. Quo melius autem pateat quam difficilis sit locus de quo praecipue loquimur, scilicet, *in IV Sent.*, dist. 24, q. 2, a. 3, oportet hic addere, manifeste in ipso docuisse Angelicum per impositionem manus imprimi characterem in Confirmatione. Ait enim ad primum: « in Confirmatione non datur officium operandi super aliquam materiam exteriorem: et ideo ibi character non imprimitur in aliqua exhibitione alicuius rei, sed in sola manus impositione, et unctione: sed in ordine sacerdotali aliter est; et ideo non est simile ». Haec S. Thomas.

Atque haec est conclusio: « Unde, ait Angelicus, secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina ».

Haec igitur est lex generalis, quod dum confertur in Sacramentis Spiritus Sanctus, secundum solam gratiam gratum facientem Spiritus Sanctus mittitur, ac proinde id quod prius confertur per invocationem Spiritus Sancti in ipsis, non est character sed gratia.

Id quod clarius patebit ex solutione S. Doctoris ad quartam difficultatem quam sibi proponit in hoc articulo.

Itaque in hunc modum sibi obiecerat: « Rabanus dicit quod Spiritus Sanctus datus est Apostolis ad operationem miraculorum. Hoc autem non est donum gratiae gratum facientis, sed gratiae gratis datae. Ergo persona divina non solum datur secundum gratiam gratum facientem ».

Eadem prorsus ratione possemus arguere in re nostra: in Sacramentis characterem imprimentibus datur Spiritus Sanctus ad aliquam potestatem exercendam. Haec autem potestas non est donum gratiae gratum facientis sed character. Ergo persona divina non solum datur secundum gratiam gratum facientem.

Audiatur nunc solutio ipsius Doctoris Angelici. « Operatio miraculorum, ait, est manifestativa gratiae gratum facientis sicut et donum prophetiae, et quaelibet gratia gratis data. Unde *1 Cor.*, 12, gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus. Sic igitur apostolis dicitur datus Spiritus Sanctus ad operationem miraculorum, quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus Sanctus; nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur quod alicui datur Spiritus propheticus, vel miraculorum, in quantum a Spiritu Sancto habet virtutem prophetandi vel miracula faciendi ». Haec S. Thomas. Quemadmodum autem difficultas facillime proponebatur terminis quaestionis quam evolvimus, ita etiam solutio S. Doctoris ipsam quaestionem solvit. Quaerimus enim quid sit prius inter effectus Sacramentorum gratia gratum faciens an character.

Iam, cum sit generatim sermo de gratiis gratis datis, solutio docet, eas cum conceduntur, sequi gratiam gratum facientem, non praecedere. Quod ex variis capitibus constare videtur in textu allato.

Nam iuxta ipsum, operatio miraculorum est *manifestativa* gratiae gratum facientis, sicut et donum prophetiae, et quaelibet gratia gratis data; quod autem ita nude vocatur manifestativum alterius ex terminis supponitur esse quid posterius; unde et implicite affirmatur gra-

tiam gratis datam post gratiam gratum facientem venire, non eam adducere, aut aliquod tantum ius ad eam habendam largiri, sed eam praesupponere.

Deinde si vox illa *manifestativa* non sumeretur in sensu obvio, scilicet ut quid subsequens exsistentiam rei manifestatae, difficultas non esset soluta, sed amplius urgeret contra doctrinam in articulo traditam. Etenim ut sententia ibi tradita firma remaneat, opus est ut collatio gratiae gratis datae sit tantum aliquid secundarium et minus intentum in eo in quo dicitur dari Spiritus Sanctus, quod nullatenus haberetur si gratia gratis data esset via vel ius ad gratiam gratum facientem primo obtinendam.

Praeterea haec verba solutionis: *Data est eis* (sc. apostolis) *gratia gratum faciens cum signo manifestante,* non nisi absurde ita interpretaremur: data est eis gratia gratum faciens, quia datum est eis signum eam manifestans. Hic enim, signum idem est ac miraculum, atque haec esset absurda interpretatio: data est Apostolis gratia gratum faciens, quia faciebant miracula. Quanto autem melior et opportunior statim non apparet haec alia interpretatio iuxta sensum obvium verborum: data est apostolis gratia gratum faciens et donum miraculorum, quod eos amicos Dei esse facile omnibus ostendebat!

Tandem haec applicatio verborum Angelici Doctoris ad quaestionem praesentem magis urget in postrema parte solutionis ipsius. Dicit enim: « Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus Sanctus ».

Ut rectius hoc postremum percipiatur, oportet ante oculos ponere, ipsum D. Thomam ad hunc articulum (I p., q. 43, a. 3) appellare, ut vidimus, dum efficientiam Sacramenti Confirmationis ad gratiam gratum facientem conferendam explicat (III p., q. 72, a. 7). Probaverat paulo ante ex professo in Confirmatione imprimi characterem (a. 5), eo ipso quod in hoc Sacramento accipiat homo potestatem ad agendum ea, quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei. Tunc (a. 7) ad probandam collationem gratiae gratum facientis has duas propositiones assumit: prima, « datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur »; altera est propositio illius articuli (I p., q. 43, a. 3), scilicet quod, « missio seu datio Spiritus Sancti (seu divinae personae) sit solum secundum donum gratiae gratum facientis ». Itaque evidens fit quod verba illa (I p., q. 43, a. 3, ad 4um): « Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus Sanctus », ex manifesta intentione S. Doctoris sunt applicanda ad quaestionem, de causalitate Sacramentorum.

Atque ulterius dicendum, quod ita applicantur haec verba ad quaestionem de causalitate Sacramentorum ut etiam significent per ipsa Sacramenta primario atque immediate gratiam gratum facientem conferri, nempe nisi obex obsistat. Quod maxime in Sacramentis characterem imprimentibus apparet.

Profecto, in sententia de causalitate tantum mediata Sacramentorum respectu gratiae gratum facientis semper est verum in sensu proprio ac rigoroso in ipsis dari solum signum gratiae gratum facientis, et tamen dicitur simpliciter dari Spiritus Sanctus, contra S. Thomam dicentem: « Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus Sanctus ».

Nec dicas, simpliciter verum esse dari Spiritum Sanctum, quia datur mediate gratia gratum faciens, quamvis non detur immediate. Hoc, inquam, nihil iuvat; quia in sententia illa de causalitate mediata, seu ope characteris in Sacramentis ipsum imprimentibus, dari Spiritum Sanctum in ipsis, maxime sibi vult imprimi characterem; in sententia vero S. Thomae, Spiritus Sanctus non datur seu mittitur nisi secundum solam gratiam gratum facientem.

Confirmatur haec interpretatio ex quaestione de charactere Sacramentorum (III p., q. 63).

Plura ex hac quaestione pertinent ad difficultatem vel rem praesentem, speciatim vero ipsa difficultate laborat quod habetur in a. 4, ad 1um.

S. Thomas hoc sibi obiecerat: « Videtur quod character non sit in potentiis animae sicut in subiecto. Character enim dicitur esse dispositio ad gratiam. Sed gratia est in essentia animae sicut in subiecto... Ergo videtur quod character sit in essentia animae, non autem in potentiis ».

Hanc quidem difficultatem solvit S. Thomas hoc statuens principium: « Subiectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem eius ad quod propinque disponit, non autem secundum rationem eius ad quod disponit remote vel indirecte ». Ex quo principio iam apparet, in sententia Doctoris Angelici characterem non esse dispositionem proximam ad gratiam; unde si non aliter Sacramenta imprimentia characterem gratiam conferrent nisi medio charactere, Sacramenta non tantum non conferrent immediate gratiam, sed neque dispositionem proximam ad illam, quod nefas est dicere [1].

[1] Recte in hunc locum Card. Caietanus haec advertit: « Cave hic ne dicta de charactere intelligas dicta de Sacramentis characterem imprimentibus, et incidas in foveam, putans quod Sacramenta huiusmodi conferant gratiam ex consequenti, fiantque principaliter causa characterum, et ex con-

Applicatio principii ad solutionem obiectionis est apertissima, atque id ipsum confirmat quod intendimus. Ait enim magnus Aquinas: « Character autem directe quidem et propinque disponit animam ad ea quae sunt divini cultus exsequenda. Et quia haec idonee non fiunt sine auxilio gratiae, quia ut dicitur *Ioan.*, 4, 24, eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate adorare oportet, ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam, per quam digne impleant ea ad quae deputantur. Et ideo characteri magis est attribuendum subiectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae ». Atque haec S. Thomas.

Necessarius quidem sensus huius loci eiusmodi esse videtur: Character requirit vel exigit ex benignitate Dei gratias actuales ad perfectionem actuum ad quos facultatem vel potentiam quodammodo confert vel significat; nullatenus vero in iis S. Doctor vel dicit vel supponit vel permittit supponere characterem esse propriam dispositionem in ordine physico ad illas gratias actuales, multoque minus ad gratiam gratam facientem seu formaliter sanctificantem. Notanda vel maxime illa verba, « *ex consequenti divina largitas recipientibus characterem largitur gratiam* ». Quae quidem consequentia non fundatur in proprietate aliqua vel naturali vi characteris, sed unice ex terminis in divina largitate.

Quod si quis contenderit hic agi etiam de ipsa gratia sanctificante quandoquidem agitur de gratia ut est in essentia animae, quamvis ad hoc posset responderi agi de gratia ut est principium immediatum operationum iuxta S. Thomam, non multum hac de re disputandum videtur, cum evidens sit, quod unice ad praesentem quaestionem spectat, neque ad gratias actuales neque ad gratiam sanctificantem seu gratum facientem iuxta verba responsionis characterem immediate disponere.

Itaque ex his clarius apparent quae diximus ex I p., q. 43, a. 3, propterea quod si neque disponit ad gratiam gratum facientem character, aperte contra doctrinam S. Doctoris erit docere tunc dari Spiritum Sanctum, quando directe tantum character imprimitur.

II. Locus commemoratus (*Sententiarum* l. IV, dist. 24, q. 2, a. 3 Solutio) aliis Angelici Doctoris sententiis videtur contrarius.

Quae hucusque allata sunt hoc demonstrare videntur, locum adductum ex l. IV Sent. doctrinam continere vere a S. Doctore intentam; eamdem enim non raro vel supposuit vel innuit vel etiam evolvit.

sequenti gratiae, quia character ut in littera dicitur, non proxime sed ex consequenti dispositio est ad gratiam ».

Veniamus nunc ad doctrinam contrariam huic, quaeque a S. Doctore videtur propugnata. Ac primo, locum principem inspiciamus, unde ingens exoritur difficultas, si cum his quae adducta sunt comparatur.

En verba ex *Sententiarum* l. IV, dist. 1, q. 1, a. 4, Solutio 1: « *Principale agens respectu iustificationis Deus est... propter congruitatem ex parte hominis iustificandi... utitur Sacramentis quasi quibusdam instrumentis iustificationis. Huiusmodi autem materialibus instrumentis competit aliqua actio ex natura propria... sed ulterius, inquantum sunt instrumenta divinae misericordiae iustificantis, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsa anima, quod primo correspondet Sacramentis, sicut est character vel aliquid huiusmodi. Ad ultimum autem effectum, quod est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositive, inquantum hoc ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitas quantum in se est, ad gratiae susceptionem. Et quia omne instrumentum agendo actionem naturalem, quae competit sibi inquantum est res quaedam, pertingit ad effectum qui competit sibi inquantum est instrumentum... ideo etiam materiale elementum exercendo actionem naturalem, secundum quam est signum interioris effectus, pertingit ad interiorem effectum instrumentaliter. Et hoc est quod Augustinus dicit, quod aqua baptismi corpus tangit, et cor abluit*, etc. » [1].

Perpendamus igitur contradictionem quae intercedere videtur inter *Sententiarum* l. IV, d. 24, q. 2, a. 3, Solutio, et dist. 1, q. 1, a. 4, Solutio 1.

Contradictio haec est. In primo loco, gratia, immo vero, plenitudo gratiae est dispositio seu praeparatio quae confertur ope impositionis manuum in Ordine ad hoc quod ordinandus sit idoneus ad susceptionem characteris sacerdotalis vel diaconatus; in altero vero gratia non confertur in Sacramentis nisi quatenus in ipsis producitur character vel aliquid huiusmodi, quod est dispositio ad gratiae susceptionem.

Profecto, aliqua ex parte difficultas solvitur illa sententia quae a tempore Card. Caietani in scholis invaluit, quae tenet, doctrinam quam Angelicus Doctor *in IV Sent.*, dist. 1, tradiderat, postea ipsum retrac-

[1] Notandum videtur postremam hanc sententiam S. Augustini, nempe, *aqua baptismi corpus tangit, et cor abluit,* nullo modo favere explicationi huius loci magis quam contrariae. Inservit sane ad solutionem generalem inquantum affirmat Sacramenta efficere gratiam, quandoquidem cor abluere verissime est gratiam conferre. Attamen eo ipso quod cor abluere significet ita proprie gratiam gratum facientem et regenerantem conferre, nullo modo sibi vult immediate characterem baptismatis ut contextus exigebat.

tasse. Sed re quidem vera, difficultas ex dist. 24 ipsius libri Sent. etiam hoc semel admisso remanet integra: *a*) quia postquam scripsit S. Thomas quod vidimus ex dist. 24, iterum professus est doctrinam dist. 1; *b*) quia in dist. 24 nimis secundario supponere videtur gratiam conferri; *c*) quia ibidem ritibus separatis tribuit collationem gratiae atque impressionem characteris.

a) S. Thomas postquam Commentarium scripsit in Magistrum Sent. denuo defendit Sacramenta efficere gratiam tantum dispositive.

Hoc autem vix indiget probatione cum ab omnibus notum sit eum in q. 27 *de Veritate*, a. 7 omnino cohaerere iis quae *in IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 4, Sol. 1 dixerat. Verba enim sunt manifesta. « Sacramenta, ait in fine illius a. 7 in corpore, non perveniunt directe et immediate ad ipsam gratiam de qua nunc loquimur (sc. ad gratiam sanctificantem): sed ad proprios effectus qui dicuntur gratiae sacramentales, ad quod sequitur infusio gratiae gratum facientis vel augmentum ».

Antiquitus in dubio circa mentem S. Doctoris in hac re comparatio instituebatur inter locum ex *IV Sententiarum*, dist. 1, q. 1, a. 4 et hunc ipsum *de Veritate*, a. 7 ex una parte, et III p., q. 62 ex alia; ex qua comparatione probatissimi quique auctores saeculo XVI et XVII expresse docuerunt eum primam sententiam retractasse. Nunc autem si attendimus ad dist. 24 *in IV Sent.* ex dictis novam deberemus admittere mutationem sententiae Angelici Doctoris in eadem quaestione; immo vero, bis repetita esset admittenda nova mutatio. Quae enim adduximus ex dist. 24 manifeste his quae desumpsimus ex dist. 1 eiusdem operis (*in IV Sent.*) posteriora sunt, et ipsis contraria, ex quo prima nova mutatio haberetur. Simili pacto excerpta ex dist. 24, anteriora sunt ac contraria his modo relatis ex quaest. 27 *de Veritate*, a. 7, ex quo altera nova mutatio in hoc postremo loco haberetur, a quibus iteratis mutationibus admittendis ratio prorsus abhorret. Itaque alia via petenda est solutio difficultatis, atque ad concordiam reducenda sunt quae ita videntur inter se pugnantia. Qua vero ratione id fieri possit, nescimus.

Necessitas autem huius solutionis inde magis elucet quod etiamsi usitata sententia, quod S. Doctor pristinam suam doctrinam hac super re in III p., q. 62 retractavit, magnam probabilitatem habeat, tum ex motivis intrinsecis, de quibus postea erit sermo, tum etiam ex auctoritate sapientum qui id censuerunt; tamen aliquas patitur difficultates, quae multum detrahunt securitati qua vellemus mentem summi

Doctoris cum certitudine adipisci. Ex his difficultatibus duas tantum in exemplum assumamus, nempe ex III p., q. 63, a. 3, ad 2um, atque ex eadem III p., q. 69, a. 10, in corpore.

Igitur primo, mirum videtur post quaestionem *de principali effectu Sacramentorum qui est gratia* (q. 62) in qua nihil apparet medium inter signum sensibile et efficax gratiae et ipsam gratiam; quam proinde immediate confert ut instrumentum divinae omnipotentiae, statim in quaestione sequenti (a. 3, ad 2um) haec legere: « Character sacramentalis est res respectu Sacramenti exterioris, et est Sacramentum respectu ultimi effectus. Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui: uno modo secundum rationem Sacramenti, et hoc modo est signum invisibilis gratiae, quae in Sacramento confertur; alio modo secundum propriam rationem characteris; etc. ». Miratur, inquam, qui in quaestione praecedenti intellexerat hanc esse sententiam S. Doctoris, Sacramenta nempe ipsa exteriora (Sacramentum tantum) esse causas instrumentales immediatas gratiae, nunc ipsum magnum Doctorem videre ita productionem gratiae in Sacramentis characteri adscribere, ut suspicari liceat iuxta ipsum tantum per characterem gratiam sacramentalem conferri.

Sane, qui Sacramentis causalitatem immediatam in ipsam gratiam attribuit, dum characterem vocat sacramentum et rem, haudquaquam ipsi characteri attribuit quidquid est de ratione veri Sacramenti N. L. Unde neque absolute illa verba pronuntiaret: *Et ideo dupliciter potest aliquid characteri attribui: uno modo secundum rationem Sacramenti...*; et forsan faciliori modo solveret difficultatem, ad quam solvendam haec scripta fuere.

Sed ad alium locum veniamus.

Quaerit S. Thomas (III p., q. 69, a. 10) utrum fictione recedente baptismus suum effectum consequatur, atque ut rem ita se habere declaret, haec ait: « Quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod remota ea per paenitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum ». Quibus verbis satis clare exprimi videtur gratiam remittentem omnia peccata in baptismo esse effectum characteris, quemadmodum effectus cuiuscumque causae physicae naturalis est proprius effectus formae ipsius causae naturalis.

Quod in contextu clarius etiam quam in verbis allatis apparet. Haec est enim argumentatio cui innititur doctrina hic tradita a S. Thoma: « Baptismus, ait, est quaedam spiritualis regeneratio. Cum autem ali-

quid generatur, simul cum forma recipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatae perficit suum effectum, sicut simul cum corpus grave generatur, movetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter... » (sequuntur verba ante allata). Difficultas est manifesta; neque ulla evidens solutio [1].

b) Exponitur altera difficultas ex illo loco (in dist. 24) scilicet, quod nimis secundario videatur ibi gratia conferri in Sacramento Ordinis.

Praeter difficultatem hucusque agitatam, cuius solutionem plane nescire fatemur, aliae etiam sponte sua fluere videntur ex illo commentario *in dist. 24*, haud sane contemnendae.

Ac primo quidem haec potest proponi. Nimis secundario affirmatur ibi gratiam dari in Sacramento Ordinis. Profecto; in ordine physico non subiicitur gratia characteri ut effectus eius. At certe in ordine morali vel finis. Longe praestat ibi collatio characteris collationi gratiae. Haec non est nisi quaedam dispositio ad characterem imprimendum, nec sola, et quasi una e multis. Tres ponuntur dispositiones seu praeparationes ad suscipiendum characterem, quas diceres eodem modo

[1] Card. Caietanus in hunc locum ait: « Non oportet laborare ad salvandum hunc processum (sc. reviviscentiam Baptismi ad gratiam conferendam tanquam effectum characteris), ut proprium seu ex propriis, sed intelligendus est, ut accommodatio quaedam similitudinaria ad manuducendum intellectum novitiorum, ut percipiant quomodo baptismus recedente fictione incipit valere ad salutem. Scivit enim Auctor, gratiam propriam bonis, non consequi characterem communem bonis et malis, ut proprius effectus sequitur formam, cum hoc tam manifestum sit, ut minimi theologi sciant, etc. ». Recte quidem. Unum tamen deesse videtur in hac explicatione, scilicet declaratio quod S. Thomas in hoc loco non usus sit illa sententia quam in *Comm. ad IV Sent.*, dist. 1 tenuit atque in III p., q. 62 retractasse videtur. Card. Toletus ad hunc locum proponit dubium de modo quo praecedens Baptismus dat talem gratiam, atque « Ad hoc, ait, respondet S. Thomas, Baptismum consequi suum effectum per characterem, qui relictus est. Nam sicut mortuus aliquando pater dicitur generare, si reliquit virtutem suam et semen; ita Baptismus reliquit characterem, qui tanquam virtus Baptismi inducit loco ipsius effectum ». Et postquam adduxit sententiam contrariam Scoti, admittit sententiam S. Thomae esse probabilem et posse defendi, *cum Deus id facere possit*. Ipse vero putat probabilius Deum recedente fictione dare gratiam Baptismi, *non per Baptismum, sed propter Baptismum*. Unde supponit Card. Toletus mentem S. Doctoris non esse dare rationem aliquam generalem desumptam ex lege qua Sacramenta gratiam conferunt, sed ex modo particulari possibili, qui modus servatur a Deo quasi per exceptionem ad conferendam gratiam per Sacramenta in casu fictionis cum tollitur fictio.

ex natura rei requisitas, atque eiusdem dignitatis, si tantum contextum attenderis, et tamen altera praeparatio est collatio gratiae, et non qualiscumque gratiae sed plenitudinis gratiae, ubi legimus: « Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei ».

Difficile autem totum hoc arbitramur, non qua parte continere videtur illam doctrinam iuxta quam finis primarius Sacramenti Ordinis non est conferre gratiam gratum facientem sed potestatem Ordinis, quam doctrinam existimamus et S. Thomae et probabiliorem esse; sed in hoc offendimus propterea quod hic tradatur character ut principalis effectus Sacramenti Ordinis contra id quod apertissime docet S. Thomas in quaestione *de principali effectu Sacramentorum qui est gratia* (III p., q. 62). Vere importuna difficultas atque implicans cum inde originem ducat unde exspectanda erat concordia inter *Comm. in IV Sententarium* et hanc ipsam quaestionem 62. Nunc enim etsi in utroque loco perspicimus, gratiam in Sacramentis non conferri per characterem, intelligimus tamen aliqua quae dicuntur in dist. 24 expressis terminis adversari iis quae ex professo traduntur in tota quaestione 62.

Nam ex verbis allatis ex Comm. in dist. 24 iam constat quousque subiiciatur collatio gratiae impressioni characteris; introductio autem ad quaestionem 62 sic ait: *Deinde considerandum est de effectu sacramentorum; et primo de effectu eorum principali, qui est gratia; secundo de effectu secundario, qui est character.*

Quamvis vero pondus huius difficultatis non sit contemnendum, probabilis tamen quaedam solutio nobis affulget. Ad quam solutionem viam aperit haec ipsa introductio quaestionis 62. Ex qua statim compertum est omnibus, ordinem inter effectus Sacramentorum in S. Thoma ex hoc loco esse desumendum.

Igitur inter se conferendae sunt quaestiones 62 et 63 in quibus singillatim hi duo effectus Sacramentorum diligentissime exponuntur. In q. 62 ita diligenter principalis effectus Sacramentorum, qui est gratia, proponitur, ut mentio nulla fiat alterius, qui est character.

Quod quidem consulto fieri dicendum est, cum praesertim in *Comm. in Magistrum Sententiarum* effectus principalis, qui est gratia, sine altero, qui est character, explicari non posse videatur. Haec absentia ipsius vocis characteris atque cuiuslibet rei similis in hac quaestione magis miranda videtur in a. 4 ubi quaeritur, *Utrum in Sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa.* Atque in responsione haec ait: « Sed ponendo quod Sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere quod in Sacramento sit quaedam virtus in-

strumentalis ad inducendum sacramentalem effectum. Et haec quidem virtus proportionatur instrumento ». Et ne verbum quidem de charactere, vel de ornatu, vel aliquo eiusmodi, qui sit primus effectus et immediatus Sacramenti, quem sequatur gratia. Amplius adhuc mirandum, *Ad primum*, iterum altum silentium esse de charactere. Difficultas enim sententiae de interventu characteris ad productionem gratiae magnam praebebat occasionem. Sic enim aiebat: « Videtur quod in Sacramentis non sit aliqua virtus gratiae causativa. Virtus enim gratiae causativa est virtus spiritualis. Sed in corpore non potest esse virtus spiritualis »... Solutio vero est, « Nihil prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter », ac tandem, « *vis spiritualis est in Sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem* ».

Qua responsione plane intelligitur quod alibi (*l. c.*, in dist. 24) S. Doctor, praecisione facta a charactere, productionem gratiae in Ordine uni manuum impositioni tribuat. Restat tamen illa difficultas, quomodo scilicet collatio gratiae impressioni characteris quodammodo subiiciatur. Ad quam solvendam aptissima videtur integra quaestio de charactere (q. 63). Multis enim S. Thomae sententiis, meridiana luce patet non ita subiici collationem gratiae impressioni characteris in Sacramentis ut ex illo loco in dist. 24 timere quis poterat. — En aliqua eiusmodi dicta. — Ex a. 1, in c. « Et ideo cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est quod per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniantur ». Atque haec est ad mentem S. Doctoris ratio intimior, intrinseca seu formalis exsistentiae characteris, ex qua iam patet characterem non dicere ordinem naturae seu physicum ad gratiam, cum eius essentia debeat tantum significare quod destinantur homines ad cultum Dei.

Praeterea iterum hoc patet ex a. 2, in quo hoc pacto probat, characterem esse spiritualem potestatem: « Et ideo, ait, sicut virtus quae est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens et incompletum, ita etiam character non proprie est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis ». In qua responsione manifeste et distinguit tanquam duas res virtutem Sacramenti ad producendam gratiam, et characterem; et non subiicit primam posteriori.

Praecipue vero solutio potest repeti ex a. 3, ad 3um, ubi sic legimus: « Charactere distinguitur aliquis ab alio per comparationem ad aliquem finem, in quem ordinatur qui characterem accepit », unde iam adumbratur solutio. Sed clarius in sequentibus cum ait S. Tho-

mas: « Et similiter (sicut in charactere militari accidebat) character fidelium est quo distinguuntur fideles Christi a servis diaboli, vel in ordine ad vitam aeternam, vel in ordine ad cultum praesentis Ecclesiae; quorum primum fit per charitatem et gratiam, ut obiectio procedit; secundum autem fit per characterem sacramentalem ». Haec inquam, declarant S. Doctorem non subiicere collationem gratiae impressioni characteris.

Etenim in his immediata est comparatio inter gratiam sanctificantem animae concessam per Sacramenta et characterem Sacramentalem; ex qua comparatione illud maxime elucet, nihil esse in charactere intrinsecum ordinem ad gratiam dicens vel arguens, sed gratiam quasi indifferenti modo posse vel praecedere vel sequi characterem in ipsa susceptione Sacramentorum ipsum imprimentium.

Itaque etiam in ipsa ordinatione extrinseca Dei qua iunguntur, et largitio gratiae, et character, potest unum vel alterum magis vel minus intendi in diversis Sacramentis. Potuit nempe Deus in institutione uniuscuiusque Sacramenti vel characterem in ipso imprimere velle propter gratiam sanctificantem quam per ipsum conferre voluit, vel gratiam sanctificantem propter potestatem quam character significat. Exempli gratia: instituit Christus Dominus Baptismum atque intendit per ipsum regenerationem animae atque sigillum seu characterem per ipsum imprimere. Evidens autem est, quod primo principaliter in hac institutione regeneratio et sanctificatio animarum prae charactere baptismali intendebatur. Ordo enim gratiae ad vitam aeternam consequendam manifeste in hac institutione praevalet. Sic igitur in Baptismo, character undequaque subiicitur collationi gratiae atque est posterior gratiae sacramentali, etiam in linea causae finalis in institutione huius Sacramenti.

Contrarium constare videtur maxime in sententia S. Thomae *Comm. in IV Sent.*, dist. 24 in Sacramento Ordinis, quod valde cohaeret cum verbis S. Doctoris modo adductis. Etenim in hoc Sacramento gratia ita comitatur collationem potestatis, ut plane appareat quod non character propter gratiam, sed gratia propter characterem largiatur suscipienti Ordinem. Primaria enim intentio huius Sacramenti, quantum ex eius natura coniectare licet, haud sane est salus aeterna ordinandorum, sed ipsis potestatem admirabilem conferre cum sigillo sacerdotii Christi Domini.

Verissime igitur ac iuxta rei veritatem a S. Thoma dictum est, per manus impositionem datur (ordinandis) plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei, quamvis gratia in se ipsa inspecta prae-

stantioris sit ordinis quam character, atque in ordine ad vitam aeternam praecipue disponat, et non tantum in ordine ad cultum praesentis Ecclesiae.

c) Tertia difficultas quae ex loco adducto (*IV Sent.*, dist. 24) enascitur, est, ritibus separatis tribui collationem gratiae atque impressionem characteris.

Manifestum est enim ex verbis ipsius loci gratiam in Sacramento Ordinis conferri ut quid praevium ad impressionem characteris. Hoc autem magnum habet inconveniens, quod ita declaro.

Ex hoc namque, gratia confertur in Ordine antequam Sacramentum Ordinis conferatur, quod rationem seu essentiam huius Sacramenti pervertit.

Profecto, iuxta sententiam S. Thomae, non raro ab ipso diserte propugnatam, gratia est, quae ultimo in Sacramentis obtinetur; character vero, utpote qui res est et Sacramentum, medium obtinet locum inter Sacramentum tantum et gratiam. Nunc vero in Ordine, iuxta ipsum S. Doctorem, haec erit series rerum; primo, impositio manuum; secundo, gratia, immo plenitudo gratiae; tertio, materia et forma Sacramenti per traditionem instrumentorum et verba quae eam exprimunt; quarto, impressio characteris... Quod non solum difficultas quaedam esse videtur, sed etiam absurdum continere. Haberemus enim gratiam collatam a Sacramento sine Sacramento, vel ante ipsam essentiam Sacramenti.

Sane, dum S. Thomas *Commentarium in IV Sententiarum* scribebat, utrumque simul tuebatur, et quod gratia confertur per impositionem manuum, et quod impositio manuum non est materia Sacramenti Ordinis sed traditio instrumentorum, quae post impositionem manuum habetur. Utrumque enim certo defendit in dist. 24. Primum, ut saepe vidimus; alterum in q. 1, a. 1, Sol. 5. In qua solutione quinta, cum data opera inquirat materiam ipsius Sacramenti, nullam omnino mentionem facit impositionis manuum. Id ipsum evidens reddebatur ex loco praecipue adducto (dist. 24, q. 2, a. 3, Solutio). Quod iterum patet in eodem articulo ad 1um, per comparationem inter Sacramenta Confirmationis et Ordinis.

Qua autem ratione vel in quo sensu haec extrema simul a Doctore Angelico affirmentur, nescimus.

III. Quo pacto locus ipse (*in IV Sent.*, dist. 24, q. 2, a. 3) cohaereat cum illis sententiis de causalitate immediata physica vel morali Sacramentorum respectu gratiae.

Ne difficultates magis quam earum solutiones quaerere videamur, non nihil addere oportet quod aliquo modo concordiam ostendat huius loci cum diversis theologorum sententiis, iuxta illam controversiam, post Card. Caietanum celebriorem, de causalitate immediata physica vel morali Sacramentorum respectu gratiae.

Itaque agnosco in hoc textu difficultates quas solvere nescio, atque ipsas graves esse iudico, nec plane a quopiam solutas hucusque fuisse videntur; nunc vero ne quasi obscuritate oppressus huic notulae finem imponam, aliquid adiiciam quod in ipso textu patere videtur, quodque ad illam controversiam pertinet.

Nam, ut saepe dictum est, locus iste manifeste contrarius est sententiae de causalitate Sacramentorum tantum dispositive respectu gratiae gratum facientis; quo supposito, dubium statim menti occurrit, utrum scilicet locus faveat defendentibus Sacramenta esse causas immediatas physicas, an vero his qui tenent esse tantum causas morales gratiae.

Huic dubio respondendum est, S. Thomam ibi locutum esse de causalitate physica Sacramentorum respectu gratiae.

Ad hoc autem declarandum lata patet via ex pluribus locis S. Doctoris in quibus longe probabilius est, eum hac in re generatim de vera causa physica ac non tantum morali loqui. Sed brevitatis gratia ab hac via abstinebimus, remque demonstrabimus, argumenta propinquiora afferentes. Primo, *a*) ipsum locum perpendendo; secundo, *b*) locum ipsi maxime contrarium (ex dist. 1, q. 1, a. 4); tertio, *c*) per comparationem ad locum similem ex III p., q. 84, a. 4.

a) Quisnam autem sit sensus verborum hac in re, facile est perspicere.

Nam verba S. Doctoris sunt haec: *per manus impositionem datur plenitudo gratiae, per quam ad magna officia sint idonei*, quae vix poterant esse aptiora ad significandam causam instrumentalem physicam ad gratiam conferendam. Sane, clarius dici poterat si quaestio ad hoc ipsum institueretur, ad definiendum nempe utrum agatur de causa physica gratiae an de causa morali. At cum nulla esset hac super re proposita controversia, simplex affirmatio, « per manus impositionem datur plenitudo gratiae », idem omnino in subiecta materia sonat ac

dicere: Deus utitur illo signo ut instrumento physico ad gratiam in animam infundendam.

Idem probatur ex paritate rationis cum verbis qui in ipso contextu exprimunt causalitatem sacramentorum respectu characteris. Nam ita explicatur effectio characteris. *In ipsa datione calicis sub forma verborum character sacerdotalis imprimitur.* In quibus verbis simplex affirmatio: « In ipsa datione calicis character imprimitur », sine ulla dubitatione ad mentem Angelici significat, per dationem tanquam per causam instrumentalem physicam. Proportione ergo servata eodem pacto interpretanda sunt verba superius dicta, nempe, *per manus impositionem* etc.

Tertio, etiam ex generali inspectione totius articuli idem sensus necessario eruitur. Nam nisi de influxu physico agatur, nullus erit influxus, atque in sensu valde improprio erunt adhibita verba illa, « per manus impositionem ». Certe influxus non est ex merito manus imponentis, ut patet; deinde neque ex merito recipientis ut etiam constat; tandem neque ullum vocabulum in toto articulo invenimus unde suspicari possimus agi de influxu ordinis moralis tantum, qui sit ex voluntate Dei.

b) Eumdem sensum quoad hanc partem exigit locus huic contrarius ex dist. 1, q. 1, a. 4, Sol. 1.

Verba in quibus hic sensus est deprehendendus haec sunt: « *Non pertingunt* (Sacramenta) *etiam instrumentaliter* (ad gratiam), *nisi dispositive*, in quantum hoc ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitas, quantum in se est, ad gratiae susceptionem ».

Igitur est demonstrandum verba, « *est dispositio quae est necessitas ad gratiae susceptionem* », intelligenda esse de dispositione ordinis physici seu causae physicae, et non necessitatis moralis tantum, quod ita probo.

Nam primo, tota constructio huius articuli S. Doctoris esset otiosa si de necessitate tantum morali ageretur.

Etenim in hac hypothesi eadem proprietate, atque eadem ut ita dicam immediatione morali, Sacramenta dicenda erant causae gratiae ac dicitur causa gratiae character vel aliquid huiusmodi: cum totam illam ordinationem ad gratiam quam habet character vel aliquid huiusmodi, iam ex sese haberent Sacramenta eo ipso quod natura sua in ordine physico, necessario characterem vel aliquid huiusmodi in animam inducant.

Profecto, si character dicendus est aliquo modo causa immediata gratiae, propterea quod munera quae per characterem significantur, indigent gratia ut rite peragantur; eadem vel etiam maiori proprietate Sacramentum exterius, quod characterem imprimit atque illam moralem necessitatem inducit, dicendum erat causa immediata gratiae sacramentalis, quia priusquam characterem imprimeret, iam necessitatem illam gratiae se ipso inducebat in rerum natura.

Quae ratio confirmatur in baptismo, quo exemplo utitur Angelicus Doctor in hoc loco. Necessitas enim gratiae in hoc Sacramento prior est quam character in ordine morali. Nam finis primarius huius Sacramenti est regeneratio, quae sequi debet signum sacramentale exterius seu ablutionem aquae, etiamsi mente a charactere praescindamus. Exsistit ergo illa necessitas de qua loquitur S. Thomas ante productionem characteris si illa necessitas non est nisi expressio quaedam influxus moralis characteris in gratiam. Itaque agitur hic de influxu physico in gratiam seu ad gratiam producendam in anima; ac proinde cum postea in dist. 24 dicatur, « per manus impositionem datur plenitudo gratiae », pari modo intelligere oportet, per manus impositionem tanquam per instrumentum physicum, per quod Deus gratiam confert.

Secundo, probatur iterum valide hunc sensum esse verborum S. Doctoris per comparationem ad locum eumdem S. Bonaventurae, nempe in dist. 1 *in IV Sententiarum.* Ibi enim Doctor Scraphicus (p. 1, art. unicus, q. 4, Concl.) dum inclinat, ut vidimus, ad causalitatem moralem Sacramentorum, ait, « Probabilis etiam est alia opinio, quae negat, ipsis Sacramentis datam esse virtutem efficientem per modum qualitatis absolutae, non relativae ». Haec autem virtus efficiens minus probabilis S. Bonaventurae videtur, ut patet, cum ait: « Valde difficile est intelligere, qualiter illa virtus detur, ut qualitas absoluta; difficilius quando detur; difficile etiam est intelligere, cui detur, verbo scilicet an elemento, quae sunt duo nihil unum facientia; difficile etiam est scire quamdiu duret; difficile est similiter valde intelligere, quomodo influat; difficile etiam, cuius naturae sit in se ipsa; et multa talia ». Haec ille.

Ex quibus et ex multis aliis indiciis quae brevitatis gratia omittimus, patet sententiam quam non audet sequi S. Bonaventura, affirmasse, characterem vel aliquid huiusmodi a Sacramento exteriori in anima effectum, esse causam physicam, non tantum moralem, gratiae.

Haec autem sententia sicut a S. Bonaventura mitissime impugnatur, ita a S. Thoma simpliciter defenditur. Doctor enim Angelicus sententiam S. Bonaventurae recenset cum ait: « Quidam dicunt, quod non

sunt causae quasi facientes aliquid in anima, sed causae sine quibus non: quia increata virtus, quae sola effectus ad gratiam pertinentes in anima facit, sacramentis assistit per quamdam Dei ordinationem, et quasi pactionem ». Hucusque S. Thomas [1], qui cum ex professo reiiciat hanc propositionem cum ratione apposita; necessario dicendus est adversarius causalitatis Sacramentorum in linea morali tantum respectu gratiae.

Nam omnis explicatio in hac linea vel in ordine iuris huc tandem manifeste redit, quod increata virtus Sacramentis assistit per quamdam Dei ordinationem et quasi pactionem; id ipsum quod refutatur a S. Doctore. Atque evidens est cum ait: « Sacramenta respectu gratiae sunt causae disponentes, tali dispositione quae est necessitas », eum agere de dispositione ordinis physici non moralis, seu de necessitate ordinis physici.

c) In eodem sensu atque eadem sententia explicandus est alius locus adductus (III p., q. 84, a. 4, in c.).

Locus ille est qui maxime cohaeret cum primo ex *IV Sent.*, dist. 24, q. 2, a. 3 ad affirmationem quod attinet, quod per manus impositionem datur plenitudo vel excellentia gratiae.

Nunc autem quaerimus utrum etiam hic (in q. 84, a. 4) intelligendus sit S. Thomas agere de collatione gratiae per manus impositionem tanquam per instrumentum physicum, an ordinis moralis tantum, respectu gratiae. Atque affirmandum putamus impositionem manus iuxta S. Doctorem esse instrumentum physicum, non ordinis moralis tantum.

Ratio vero assertionis est in promptu in ipso textu. Ibi enim dicitur « quod impositio manuum fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet ». Ex quibus patet manus impositionem pro illo cui manus imponitur esse quamdam necessitatem habendi vel suscipiendi gratiam, quae necessitas ex dictis in simili casu in praecedentibus, nisi aliud probetur, intelligenda est necessitas ordinis physici.

[1] S. Bonaventura (*l. c.*) primo in conclusione affirmat quod « Sacramenta respectu gratiae gratum facientis sunt causa sine qua non ». Deinde in expositione illius sententiae ad quam maxime inclinat atque ut probabilem defendit, ait: « Illa ordinatio efficax secundum istos virtus est Sacramenti, et ratione illius disponit hominem ut habeat gratiam, quia efficaciter ordinat ad habendam et suscipiendam gratiam. — Rursus dicunt, quod ex tali pactione Dominus constrinxit se quodam modo ad dandum gratiam suscipienti Sacramentum... ».

Confirmatur haec obvia interpretatio, ex eo quod S. Thomas ad suam sententiam roborandam applicet dictum Apostoli (*2 ad Tim.*, 1, 6): « Resuscites gratiam quae est in te per impositionem manuum mearum ». Hac autem praepositione, *per*, sine dubio S. Doctor instrumentum ordinis physici seu instrumentum ad physice influendum intelligit.

Ex quibus omnibus sive singillatim sive collective sumptis, quae in hac parte III diximus, cum magna probabilitate, ne dicamus certitudine, patet S. Thomam semper loqui de causalitate physica non vero morali Sacramentorum respectu gratiae.

Ceterum, ut finem imponam huic notae iam longiusculae, etsi difficultatem non solverim, puto tamen me tempus et operam non perdidisse. Etenim in primis difficultatem ipsam, quam neque in manualibus, neque in commentariis inveni satis ample disputatam, clare, ni fallor, et distincte proposui; deinde certa pro certis incerta pro incertis quantum potui declaravi; sicque confidere posse mihi videor aliis saltem viam stravisse, quo facilius quaestioni studentes ulterius procedere possint atque etiam ad enodandam difficultatem aliquando perveniant.

ALOISIUS TEIXIDOR S. I.

De idea successionis in Chronica ecclesiae Arbelensis.

Omnis religio *positiva*, in oppositione ad naturalem, ut vere talis sit, requirit interventum Dei specialem et immediatum, manifestationem scilicet mentis et voluntatis divinae qua hominibus innotescat modus quo Deus ab ipsis coli velit. Religio porro positiva *publica* et *universalis* postulat voluntatis Dei manifestationem haud dubiam, omnibus hominibus destinatam, seu revelationem publicam. Religio denique positiva universalis *absoluta* et *definitiva*, in oppositione ad praeviam et praeparatoriam qualis fuit Veteris Testamenti relate ad Novum Foedus, debet integra permanere atque vigere usque ad consummationem saeculi. Iamvero religio *christiana*, i. e. a Iesu Christo instituta, est positiva, universalis, absoluta; ergo qua christiana, ea nimirum forma qua a Christo condita est, permanere atque vigorem suum exercere debet, ut voluntas Dei impleatur hominumque salus (redemptio) obti-

neatur. Iesus Christus autem a Patre *missus* est tamquam Messias, magister, redemptor. Hinc eius religio est redemptoria, i. e. pro fine primario habet distributionem et applicationem gratiarum redemptionis. Religio christiana deinde est doctrinalis (dogmatica), i. e. pro fine subordinato quidem sed essentiali habet magisterium sacrum quo doceat veritates a Christo revelatas. Religio demum christiana est socialis qua videlicet impleantur vaticinia V. T. de Regno Dei et Messiae futuro, sempiterno. Hoc Regnum Dei et Christi hisce in terris exsistens est *Ecclesia,* in qua igitur et per quam homines secundum voluntatem Dei religionem Iesu Christi exercere, eius gratias haurire, eius revelationem discere debent. Hinc Christus suam Ecclesiam instruxit *muneribus,* sacerdotali, doctrinali, sociali, quae in Ecclesia et cum Ecclesia permanere debent, tamquam corporis Christi vivi organa viva, usque ad finem temporis.

Quae hisce paucis adumbrata sunt, ostendunt originem, indolem, necessitatem *successionis* et traditionis in Ecclesia. Homines quidem, qui pro tempore muneribus istis funguntur, sunt mortales, munera vero perennia; subiecta iuris alia aliis sufficiuntur, ius ipsum vi institutionis divinae permanet, transiens ab uno ad alium sine sui alteratione, successione formali. Cum quo conceptu arcte cohaeret notio traditionis, quo scilicet actus intellegitur, quo quis alii rem aliquam (sibi traditam, integram) tradit; ita sensu activo, sensu passivo ipsa res tradita vocatur traditio. Res tradita, si agatur de traditione religiosa, potest esse varii generis (ritus, formulae, alia) potissimum autem doctrina, quae ob originem suam (divinam) peculiarem reverentiam postulat. Sed de hac traditione in hac disceptatione non agendum est.

Ex qua conceptus explicatione elucet, curnam haec successionis idea inde ab Ecclesiae initiis fuerit inter principales; fluit enim ex ipsius essentia. Enuntiatur iam *Iesu Christi* verbis: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos! » (*Jo.*, 20, 21; cfr. *Mt.*, 10, 40 ss; 28, 18 ss.). Ita munus suum, missionem suam intellexerunt apostoli, ex quorum verbis unius *Pauli* sufficiat allegare effatum: « quae (salus), cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audiverant, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis... » (*Heb.*, 2, 3). Eadem fuit persuasio aetatis apostolis posterioris. « Christus igitur, ait *Clemens Romanus,* a Deo et apostoli a Christo... (qui) constituerunt episcopos et diaconos... » (*I Clem.*, c. 42; K 12 [1]) cum ordina-

[1] K = Kirch, *Enchiridion fontium hist. Ecclesiae antiquae.* Friburgi, 1923 (ed. 4ª).

tione, « ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent » (c. 44; K 13). *Hegesippus* paulo post saeculum secundum medium itinere suo finem sibi assequendum proposuit, ut plurimas invisendo ecclesias earumque episcopos, per successiones singulas ascenderet ad illam veritatem, quam Lex praedicat et prophetae et Dominus. Romam autem cum venisset, episcoporum catalogum confecit usque ad Anicetum, cuius tunc diaconus fuit Eleutherus (Eus., *Hist. eccl.*, 4, 22, 2 s; K 69 s). *Irenaeus* porro veritatem doctrinae catholicae contra varias gnoseos species defendit argumento peremptorio successionis. Doctrina Christi certe est traditio apostolica; hanc autem apostoli dederunt episcopis, « quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes » (*Adv. haer.*, 3, 3, 1; K 124), et « cum episcopatus successione charisma veritatis certum » (4, 26, 2; K 136; cfr. 4, 33, 8). Idem, sicut Hegesippus, catalogum episcoporum Romanae ecclesiae, utpote « maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae » conscripsit (3, 3, 2 s; K 125 s). Pari ratione *Tertullianus* contra haereticos provocat ad « census » ecclesiarum apostolicarum, qui scilicet possunt evolvere « ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem » (*De praescr. haer.*, 32; K 192).

Quibus scriptoribus idea successionis apostolicae vere evasit argumentum veritatis Ecclesiae catholicae, quia unitatis cum Ecclesia primitiva atque cum ipso Christo, eius auctore. Est etenim haec successio reapse nil aliud nisi identitas missionis Christi et apostolorum et deinceps episcoporum. Episcopi succedunt apostolis; apostoli missi sunt a Christo; Christus legatus est Dei et ut talis religionem et Ecclesiam suam fundavit, unam, veram, absolutam. Brevissime, compendii instar, hoc argumentum exhibetur catalogis episcoporum, quales contexuerunt pro ecclesia Romana Hegesippus et Irenaeus, pro ecclesiis Romana, Hierosolymitana, Alexandrina, Antiochena Eusebius in sua Historia Ecclesiastica [1].

Huic iam persuasioni, in Ecclesia primaeva constanti et universali, consonat testimonium Chronicae Arbelensis [2], quod sicut chorum

[1] Nomina excerpsi in *De Ecclesia,* I, pag. 389 ss.

[2] Grato animo utimur nunc iam editione quam versione latina paravit Fr. ZORELL S. I., *Chronica ecclesiae Arbelensis* (« Orientalia christiana », VIII, 4), Romae, 1927. Pont. Instit. Oriental. Studiorum, 64 pag. Introductio, notae, indices (nominum propriorum, geographicus, nonnullarum rerum theo-

illarum vocum auget et confortat, ita vicissim ex hac consonantia veridicum et fide dignum cognoscitur. Et merito quidem communis fere sententia eorum qui his chronicis legendis operam dederunt censet opusculum istud esse documentum et aetate et indole et credibilitate sane pretiosum, dignum proinde quod adnumeretur fontibus religionis christianae antiquissimis atque dignissimum, quod « in theologorum catholicorum manibus versetur ». Ita F. Zorell in Prooemio, postquam eodem loco recensuit auctores qui libello, atque imprimis factis in ipso relatis ex temporibus antiquissimis, ex saeculo scilicet secundo ineunte, fidem habent: Mingana, Sachau, Allgeier, Baumstark, Dieckmann, Haase, Harnack, Umberg, quibus nunc addendus est K. Pieper (« Römische Quartalschrift » 34 [1926] 121 ss.).

Ratio huius consensus est ipsa chronicorum indoles. Sequens nimirum auctor libri (Mesîha-zechae, secundum notam aliquam marginalem) Historiam ecclesiasticam Eusebii enarrat gesta ecclesiae episcopalis Arbelae, regionis Adiabenes (Assyriae, trans Tigrim) secundum successionem episcoporum, inde ab anno fere 100 usque ad medium saeculum sextum. Fontes ipsi non deerant. Facta relata saepenumero ex aliis fontibus ut certa cognoscuntur. Criteria dubitationis non inveniuntur. Status et conditio ecclesiae cum iis quae de aliis ecclesiis, eodem tempore exsistentibus, scimus, concordant. Inde inferunt veritatem historicam chronicorum saltem quoad substantiam rerum relatarum [1].

Primo, si libet, ipsa verba chronistae proferamus; deinde quae ex ipsis consequantur colligamus.

(1) « Scis enim, per narrationem de praesulibus Ecclesiae nos facile adduci ad conditorem Ecclesiae, qui est Dominus Noster Iesus Christus... » [8]. Cfr. Praefatio in Hist. Eccl. Eusebii; K 422.

(2) « Primus igitur episcoporum, quem regio Adiabene habuerit, est, ut Abel magister dicit, Mâr Peqîda, cui Addai apostolus ipse manum imposuit... Et dicunt (apostolum) post quinque annos ei manus imposuisse eumque in patriam suam misisse... Post decem annos mortuus est... » [10 s]. Peqîda fuit episcopus Arbelae 105-115.

(3) « Sex annis post, Mazrâ, episcopus Bêth-Zabdaj'ensis... in regionem Adiabenen venit... (cui christiani) dixerunt, se iam sex annos

logicarum) lectori perutiles, ipsa deinde versio adaptant hoc documentum usui scholari, cui quidem editiones priores, syriaca-gallica A. Mingana (anno 1907) et germanica E. Sachau (anno 1915) minus inservire potuerunt.

[1] De dubiis quibusdam, quae spectant ad partes chronicorum posteriores cfr. P. Peeters, *Le passionnaire d'Adiabène* (« Analecta Bollandiana », 43 (1925) pag. 273 s., 276, 284, 302 s.).

esse sine praesule. Postulaverunt ab eo, ut diacono Samsoni manum imponeret eumque sibi episcopum constitueret. Et obsecutus bonae eorum voluntati, illi manum suam imposuit, quia cognoverat eum fuisse Peqîdae diaconum » [11]. Samson post (saltem) duos annos (121-123) martyr occubuit. Chronista haec addit: « Adoremus igitur Dominum nostrum Iesum Christum, qui dedit apostolis suis et post eos successoribus eorum depositum verbi sui... Et sonus horum verborum auditus est in universo mundo: « in omnem terram exivit annuntiatio eorum et in fines orbis terrae verba eorum » (*Ps.*, 19, 5; cfr. *Rom.*, 10, 18, atque iam 10, 13 ss.) [12].

(4) « Post hunc autem athletam Christi praefuit christianis multis, qui (hic) erant, Mar Isaac... » [12], episcopus 123-136.

(5) « Successit ei Abraham magister...; parentes eius doctrinam (christianam) susceperant, dum ipse adhuc puer erat, iam tempore Samsonis episcopi. Hic quoque munus suum obiit cum tranquillitate et humilitate ineffabili... docens et veram religionem praedicans ac baptizans in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... Et imposuit manus suas Noe, diacono suo... Administraverat celsum thronum suum Adiabenum quindecim annis (136-150) ». [16 s].

(6) Noe multas persecutiones pertulit; « haec est bona portio, data apostolis et in eorum persona toti Ecclesiae Dei... Ecclesia quippe est regnum spirituale Christi super terram... commixta cum malis et apostatis et magis et gentilibus, et omni tempore bellum gerit cum iis » [17 s]. « Et illic (Arbelae), postquam duos annos in vinea Domini laboravit, et postquam multis presbyteris et diaconis manum suam imposuit, transmigravit ad Dominum suum... Gubernaverat igitur christianos numerosos hyparchiae nostrae sedecim annis (151-167) » [20 s].

(7) « Post quatuor annos convenerunt christiani regionis nostrae cum presbyteris et diaconis et elegerunt ad opus episcopatus Mar Abel (171-?), et eum Hanitham duxerunt, ut illic ei manum imponeret Zechâ-Isô, episcopus civitatis. Attamen recordatio beati Noe non est deleta ex memoria fidelium; aedificarunt ei ecclesiam eamque nomine eius appellaverunt... ». [21].

E quibus textibus haec consequi videntur [1]:

1) *Principium successionis* (et traditionis) eodem modo exhibetur et applicatur atque in documentis latinis et graecis. Ecclesia est a

[1] Cfr. *Das Zeugnis der Chronik von Arbela für den monarchischen Episkopat* (« Theologie und Glaube » 17 [1925], 65-73; praeterea quae scripsi *De Ecclesia*, I, 412.

Iesu Christo instituta; hinc omnia eius bona (gratia et doctrina), omnis eius auctoritas, eiusque munera (episcopatus praesertim) descendunt a Christo, scilicet per apostolos eorumque successores, episcopos, usque ad eos qui pro tempore gubernant singulas dioeceses, vi successionis formalis.

2) Speciatim *munus episcopale* transfertur successione formali, impositione nimirum manuum alterius episcopi. Neque ipse coetus fidelium (more democratico) neque ministri sacri (presbyteri et diaconi; cfr. n. 3 et 7) possunt sibi creare episcopum; sed eius munus hierarchice confertur, ita ut conexus servetur cum apostolis (Addai; n. 2), itaque cum ipso Christo qui apostolos misit; est enim episcopatus originis divinae et hinc iuris divini.

3) Nihilominus fideles et ipsi (cum ministris sacris) certas partes habent in instituendo episcopo, quatenus eum « eligere » i. e. aptum atque exigentiis muneris correspondentem designare valent (n. 2 et 7), similiter ac coetus fidelium in eligendis septemviris (*Act.*, 6) et deinceps in aliis ecclesiis (cfr. *I Clem.*, c. 44; K 13; testimonia Origenis et Cypriani: *De Ecclesia*, I, 412). Atque adeo ex hac Chronicae Arbelensis descriptione textus aliorum fontium forte non tam perspicui lucem accipiunt, imprimis celebre illud atque multum controversum effatum *Doctrinae apostolorum*: « Eligite igitur vobis episcopos et diaconos » (15, 1; K 6). Et haec quidem electio (χειροτονία) est actus praevius; actus vero constitutivus, quo ipsum munus atque ius et auctoritas confertur, est impositio manuum (χειροθεσία), facta per alium episcopum, qui ipse rite ordinatus et consecratus, potestatem suam ab alio acceperit, itaque conexionem instituit cum apostolis atque cum ipso Christo, vi successionis formalis.

H. Dieckmann S. I.

Saint Thomas et saint Augustin d'après M. Gilson.

Les « *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen âge* »[1] viennent de publier leur premier numéro. C'est avec une vive satisfaction qu'on y lit les noms des deux directeurs de la nouvelle Revue: M. Etienne Gilson, professeur à la Sorbonne, et le R. P. Théry, dominicain. Une telle collaboration, signe du moment philosophique que nous vivons, excite l'intérêt et met en pleine confiance. Ajoutons que le savant directeur des éditions franciscaines de Quaracchi, le R. P. Longpré, a fourni sa contribution au présent fascicule. On peut être assuré que ces Archives rendront d'éminents services, et par la publication de textes précieux, et par des études d'histoire rigoureusement conduites. On ne peut douter de leur succès.

Je voudrais m'arrêter au long article que M. Gilson a intitulé: *Pourquoi saint Thomas a critiqué saint Augustin*[2]. A travers plus de cent vingt pages, l'auteur réussit à maintenir très vive l'attention, et cependant il doit bien souvent exposer avec ampleur des systèmes vieillis, dont plus d'un est fort abstrus. C'est que l'on est conquis par l'aisance que donne à l'auteur sa grande connaissance des doctrines, et par la clarté dont il a le constant souci. C'est aussi que l'on partage avec M. Gilson l'espoir de découvrir, dans l'histoire de ces tâtonnements de la pensée au moyen âge, des lumières pour mieux entendre et mieux expliquer saint Thomas, pour mieux déterminer, en particulier, sa position en face de saint Augustin. Nous voilà donc,

[1] Année 1926-1927. Paris, J. Vrin, 1926, 318 pag.

[2] Viennent ensuite dans ce numéro: du P. Théry, l'édition critique des pièces relatives au procès d'Eckhart, contenues dans le manuscrit 33 *b* de la bibliothèque de Soest: ces pièces sont les premières du fameux procès, et elles sont très importantes; elles ont été publiées, il est vrai, dans les « Beiträge » de Baeumker, en 1923 (B. XXIII, H. 5), mais, dit le nouvel éditeur, « une édition s'imposait, qui tiendrait compte à la fois de la teneur diplomatique du manuscrit de Soest, et des sources originales de ces documents » (pag. 135); — du P. Longpré, des textes inédits de Thomas d'York, et de Matthieu d'Aquasparta sur le problème de la création; — enfin du P. Roland-Gosselin, une note sur la double rédaction par Albert le Grand de sa dispute contre Averroès: tandis que le P. Pelster place le traité *De unitate intellectus* après le texte de la *Summa Theologiae,* c'est l'ordre inverse qui paraît s'imposer.

en réalité, devant l'important et difficile problème des rapports de la philosophie de saint Thomas avec celle de saint Augustin.

M. Gilson déclare dès l'abord que « le nombre de ceux qui s'obstinent à soutenir que le thomisme et l'augustinisme n'ont qu'une seule et même théorie de la connaissance diminue de jour en jour » (pag. 5). Je le crois bien ; il n'y a même personne, que je sache, qui voulût le soutenir un seul instant, si la question restait posée en termes aussi généraux et aussi simples. Comment l'augustinisme du moyen âge ne différerait-il pas du thomisme, puisqu'on désigne sous ce nom d'augustinisme les doctrines de S. Bonaventure, de Peckam, de Bacon, et d'autres qui furent en lutte ouverte contre l'enseignement de saint Thomas? Et s'il s'agit de la doctrine même de saint Augustin, il est trop clair que des différences existent, et même certaines oppositions, en particulier dans la théorie de la connaissance. Mais ces oppositions portent-elles sur l'essentiel ou sont-elles conciliables avec un accord réel sur le fond des choses? Question délicate et complexe, qu'on ne peut résoudre par le témoignage de quelques textes isolés, mais seulement par un approfondissement synthétique des deux systèmes. Il semble bien cependant que ce soit à la question ainsi posée que M. Gilson réponde en affirmant un désaccord essentiel entre saint Augustin et saint Thomas. Il estime en effet que le désaccord a été fort bien établi par J. Hessen. Or, le Dr. Hessen fait reposer le fond de son argumentation sur ceci que saint Augustin, à son avis, a enseigné une vision immédiate des Idées divines [1], une connaissance de Dieu immédiate et intuitive [2]. Cela, quoiqu'en dise M. Hessen, c'est de l'ontologisme, et personne, aujourd'hui du moins, n'est tenté d'attribuer l'ontologisme à saint Thomas. La thèse du Dr. Hessen a rencontré en Allemagne des contradicteurs de grande autorité : le Dr. Geyser [3], le

[1] « Was Augustin immer wieder betont, was Hirn und Herz seiner Lehre vom Erkennen bedeutet, ist gerade die Idee eines direkten Zusammenhanges des menschlichen Geistes mit dem göttlichen, einer unmittelbaren Erleuchtung des ersteren durch den letzeren, eines unvermittelten Schauens der ewigen Ideen ». *Augustinische und thomistische Erkenntnislehre*, Paderborn, 1921, pag. 40.

[2] « Die, wie gesagt, auch von älteren Forschern vertretene Ansicht, dass Augustin eine unmittelbare, intuitive Gotteserkenntnis lehrt, darf demnach als ein gesichertes Ergebnis der wissenschaftlichen Forschung bezeichnet werden ». *Augustins Erkenntnistheorie im Lichte der neuesten Forschungen*, « Philos. Jahrbuch », 1924, pag. 188.

[3] *Augustin und die phänomenologische Religionsphilosophie der Gegenwart*, Münster, 1923, pag. 71.

Dr. Mausbach [1], le Dr. Grabmann [2], le P. Przywara [3]. Je trouve même dans la présente étude de M. Gilson plus d'une phrase qui ne s'accorde guère avec l'interprétation de M. Hessen [4]; et je suis assuré que si M. Gilson donnait un exposé d'ensemble de la pensée de saint Augustin, comme il la comprend, il apporterait à cette interprétation les modifications indispensables. Pour ma part, je crois avoir réuni, non seulement pour exclure l'ontologisme dans saint Augustin, mais pour rapprocher étroitement sa noétique de celle de saint Thomas, un certain nombre d'arguments sérieux, contre lesquels, jusqu'à ce jour, et sans y mettre de l'entêtement, je n'ai rien rencontré de décisif [5].

Il va sans dire qu'expliquer pourquoi saint Thomas a critiqué saint Augustin, ce serait démontrer par là même qu'il l'a critiqué. Et il s'agit ici d'une critique qui aboutit à condamner. Suivons d'abord l'explication de M. Gilson. Elle est neuve et elle met en mouvement une riche matière; même si elle n'atteint pas le but précis visé par l'auteur, elle ne peut rester sans résultat; elle est au contraire constamment suggestive. Il importe d'abord d'étudier avec soin un groupe important des adversaires de saint Thomas, afin de découvrir le fond commun qui les fait tomber sous les coups de l'Aquinate. Ce sont d'abord les Motecalemin, ou théologiens musulmans; ils nient la réalité des essences et l'efficacité des causes secondes; c'est l'extrême gauche du groupe. Vient ensuite Ibn Gebirol (Avicebron): il n'attribue aux corps quelque activité que dans la mesure où une activité spirituelle les pénètre. Avicenne, à son tour, veut que toutes les formes dans notre monde soient conférées par la dernière Intelligence; on ne peut que se préparer à cette réception; c'est ainsi que dans l'ordre de la connaissance, l'âme se prépare par la considération du sensible à recevoir de l'Intelligence l'idée toute faite. Et maintenant, voici un augustinien avicennisant, Guillaume d'Auvergne; de son sys-

[1] « Theologische Revue », 1924, n. 4, pag. 133.

[2] *Der göttliche Grund menschlicher Wahrheitserkenntnis nach Augustinus und Thomas von Aquin*, Münster, 1924, pag. 20.

[3] *Religionsbegründung, Max Scheler, J. H. Newman*, Freiburg i. Br., 1923.

[4] Par exemple, pag. 118, pag. 120.

[5] Surtout: *L'idée de vérité dans la philosophie de saint Augustin*, Paris, Beauchesne, 1921; mais aussi: *Saint Thomas et saint Augustin*, dans « Scritti vari nel VI centenario della canonizzazione di S. Tommaso », « Scuola Cattolica », Milano, 1924, et: *Autour de l'illumination augustinienne*, « Gregorianum », 1925, pag. 449. — Le « Gregorianum » (1926, pag. 321 sqq.) a publié une belle étude de Mons. di Somma, qui va dans le même sens. — La revue augustinienne, « La Ciudad de Dios » défend la même position.

Maioris momenti est attendere ad alia elementa deductionis Daltonianae, quae quamquam essentialia sunt, saepe oblivioni dantur. Dalton enim non solam theoriam atomicam antiquam ad explicanda illa nova facta adhibuit sed addidit ei duas hypotheses auxiliares sive additionales, ad quarum unam factis quoque experimentalibus adductus est; factis nempe ex quibus concludebat particulas minimas corporis puri inter se habere proprietates omnino easdem.

Haec igitur erat suppositio Daltonis: Corpora constant particulis minimis, elementa atomis, extensis quidem sed indivisibilibus (chimice), mixta autem minimis, quae sunt aggregata, aliquatenus stabilia, atomorum. Haec suppositio non est nisi atomismus antiquorum. Sed ecce hypotheses auxiliares: atomi unius elementi habent omnino easdem proprietates, in primis idem pondus; item atomi alterius elementi habent inter se easdem proprietates, diversas a proprietatibus prioris. Sic minima unius mixti inter se omnino eodem modo componuntur ex elementis, habent igitur inter se easdem proprietates diversas a proprietatibus minimorum alius mixti. Haec autem est altera hypothesis additionalis: ad constituendum unum minimum mixti *paucae* atomi (una, duae, tres...) unius elementi aggregantur modo aliquatenus stabili *paucis* (uni, duabus, tribus...) atomis alius [1].

[1] Non loquimur, simplicitatis gratia, sicut iam significavimus agentes de obiectionibus cl. viri Duhem, de mixtis complicatis, ex quibus moventur obiectiones illae; non essentialiter mutatur consideratio nostra per hanc abstractionem. Ceteroquin ipse Dalton nondum noverat ista mixta complicata. Si quis ea quoque mixta considerare vult, loco « numeri simplicis », in sequentibus legat « numerum integrum ».

Ex hac triplici igitur hypothesi sine negotio deducuntur tres leges stoechiometricae; per eam igitur explicata sunt innumera illa facta quae leges chimicae complectuntur. Consideramus tantum tertiam legem, quia, ut diximus, duas priores involvit.

Ipsa lex breviter iterum enuntietur hisce verbis: Mixta efformantur ex elementis in proportionibus quae exprimi possunt numeris caracteristicis (i. e. singula elementa suum numerum determinatum pro omni mixtione habent) multiplicatis per integros simplices (1, 2, 3...). En ratiocinium quo lex deducitur ex triplici hypothesi Daltoniana:

Secundum hypothesim fundamentalem, addita priori ex auxiliaribus, minima unius mixti inter se eandem habent compositionem ex iisdem atomis; eadem igitur erit proportio ponderum elementorum in toto mixto quae est in singulis minimis; quod valet pro singulis mixtis. Unde sequitur argumentum: Mixta quoad compositionem proportionalem ex elementis sese habent sicut sua minima. Atqui minima — quia miscentur ex atomis elementorum (quae pro singulis elementis sunt eiusdem ponderis) numero paucis (1, 2, 3...) — efformantur ex elementis in proportionibus quae possunt exprimi numeris characteristicis (nempe ipsis ponderibus relativis atomorum diversarum) multiplicatis per integros simplices (1, 2, 3...). Ergo mixta efformantur ex elementis in proportionibus quae exprimi possunt numeris characteristicis multiplicatis per integros simplices. Quod non est aliud nisi ipsa lex numerorum proportionalium. Ad adstruendas praemissas adhibita est hypothesis fundamentalis atomistica, ad maiorem prior hypothesis additionalis, ad minorem utraque suppositio auxiliaris. Haec est classica et notissima deductio legum stoechiometricarum ex hypothesi Daltoniana.

Antequam deductionem hanc crisi subiciamus, breviter indicare oportet quomodo in hypothesi Daltoniana explicetur ingens discrimen inter mixta et solutiones, pro quibus non valent leges stoechiometricae. Sufficit nempe ad compositionem, modo quasi-continuo variabilem, solutionum explicandam omittere tertiam suppositionem, retentis prioribus. In tali nempe hypothesi solutio efformatur ex minimis componentium, ita autem ut *quivis* numerus (non parvus tantum) minimorum unius componentis misceri possint cum *quovis* numero aliorum, v. g.

ingens numerus prioris cum parvo numero, vel cum crescente numero, alterius; et in hac suppositione, ut lector facile intelligit, propter exiguam molem unius minimi series solutionum practice indefinita, quasi-continua quoad compositionem, erit possibilis. Unde leges tres stoechiometricae non valent pro solutionibus, quia prima iam non valere potest. Unde patet quam essentialis sit altera hypothesis additionalis Dàltoniana ad explicandas illas leges.

Redeamus ad mixta perfecta et ad deductionem legum stoechiometricarum ex triplici hypothesi, quam fecit Dalton, et inquiramus secundum methodum nostram utrum in illa hypothesi sint elementa superflua. Si quae sint talia, elementa nempe, quae in conclusiones (quae sunt ipsae leges) nullum influxum habent, haec non confirmantur per verificationem conclusionum; haec igitur ex tali verificatione, quamvis splendida, directe nullam, absolute nullam, confirmationem vel probabilitatem hauriunt.

Consideremus, quantum fieri potest, singula elementa. Duae hypotheses auxiliares sunt essentiales; de posteriori id iam ostendimus; ea omissa, iam non sequuntur leges stoechiometricae tamquam conclusiones, sed mixta sese haberent sicut solutiones, — quod factis contradicit. Si prior omittitur, quae supponit minima (vel atomos) unius eiusdemque corporis easdem habere proprietates, idem in primis pondus, ruit quoque tota deductio ut inspicienti statim manifestum est. Utraque igitur hypothesis est necessaria; *de his* videtur valere id quod Tongiorgi[1] contendit de *integra* hypothesi atomica ut explicativa legum stoechiometricarum: « nullam aliam hypothesim possibilem atque probabilem, hac reiecta, suppetere, id quoque physici ostendunt argumentis ex legibus proportionum definitarum, multiplorum, et crystallizationis depromptis ».

Estne revera, ut significat Tongiorgi, idem quoque dicendum de hypothesi fundamentali, de ipso atomismo? *In quantum* praebet fundamentum pro ipsis hypothesibus auxiliaribus, utique affirmandum est: ipsa quoque est essentialis; non possunt minima inter se esse aequalia si non dantur minima saltem chimice indivisibilia. Sed accuratius inspicienti manifestum erit hypothesim ipsam fundamentalem esse compositam; in ea diversa elementa distingui

[1] TONGIORGI, *Institutiones philosophicae*. II. *Cosmologia*, n. 64.

possunt. Nam sic proponi potest, prout intellegi et adhiberi solet: 1° corpora continent illa minima (illas atomos), 2° et quidem actu; vel ita: 1° corpora constant atomis, 2° actu divisis et quidem tum ante reactionem chimicam tum in reactione tum post eam. Et sic patet hypothesim constare duplici elemento. Et post hanc « discretionem elementorum » possumus inquirere utrum inter ea sit forte elementum superfluum, adhibendo methodum, quam in communicatione nostra supra citata descripsimus, nempe proponendo aliam hypothesim, quae loco unius elementi (de quo suspicatur id esse superfluum) aliud, v. g. ei contrarium, continet et conando ex ea deducere easdem conclusiones, experimento confirmatas.

Iam vero: incipiamus ab hac suppositione: Corpora continent minima (atomos) sed in potentia (virtute) tantum; vel ita: Corpora continent atomos, in quas in ipsa reactione dividuntur, sed quae et ante et post reactionem chimicam (in elementis et in mixtis) iam non sunt actu sed virtute tantum [1]. Et huic hypothesi fundamentali addamus duas hypotheses additionales Daltonianas. Ecce ex his, deductione ad litteram eadem, perveniemus ad conclusiones ad litteram easdem. Ipsum « esse actu » vel « esse in potentia tantum » nihil influit in conclusiones.

Concludimus: Hypothesis quae sustinet atomos sive in elemento sive in mixto adesse *actu*, est pro hac deductione omnino superflua, nullo modo influit in conclusionem; nullo modo igitur confirmatur per ipsas leges experimentales stoechiometricas. Unde ex ipsis istis legibus directe nullam, omnino nullam probabilitatem hauriunt.

Verum utique quoque est, etiam hypothesim, quae ponit atomos tantum esse in potentia, ex his legibus directe nullam accipere probabilitatem. Loco utriusque hypotheseos (contrariae) *specificae* ponenda erit tamquam theoria explicativa harum legum theoria *generica*, quae affirmat in corporibus illam multiplicitatem secundum partes inter se aequales, quin dicatur illas partes esse actu

[1] In *utraque* hypothesi, et consueta (actualitatis) et nostra (virtualitatis) *praesupponitur* explicatio legis Lavoisier, de qua, ut iam diximus, postea agemus.

vel virtute tantum. Duae theoriae specificae praebent cognitionem analogam, theoria generica videtur praebere cognitionem univocam. Poterit utique una ex istis theoriis analogis per alias confirmationes fieri univoca, non ex legibus his stoechiometricis tantum. Ad similem conclusionem perveneramus agentes de structura crystallorum [1].

* * *

Si autem ratiocinium Daltonis nihil probat pro sententia affirmante actualitatem atomorum in corporibus, immo ei nec ullam probabilitatem directam confert, num nihil nos docet? Utique docet et quidem multum, id quod historia chimiae, quae post et propter hypothesim Daltonis tam mirifice sese evolvit, testatur. Quaedam brevissime indicabimus, quae nota sunt, quaedam alia quae forte inopinate concludentur.

Docet in primis corpora naturalia non, sicut mathematica, in infinitum dividi posse, nec per reactiones chimicas; immo non possunt, sicut mathematica, in quaslibet partes aliquotas dividi sed in tales tantum, quae *integrum* numerum minimorum continent; sic fieri potest ut habeatur corpus quod continet numerum imparem minimorum: tale non poterit dividi in duas partes stricte aequales.

Docet methodum (quae in chimia explicatur, adhibitis etiam aliis considerationibus) determinandi quoque pondera relativa eorum minimorum; nec spernenda est, etiam pro philosopho, talis determinatio et cognitio. Docet iam S. Thomas (eius textus inferius citabimus) quod minima admitti debent determinata, eo quod formae debetur determinata quantitas. Ecce minimum determinatum est per ipsam naturam, per ipsam speciem, est proprium stricte dictum illa quantitas determinata, resultans ex ipsa substantia. Nil mirum quod cognitio ipsius valoris huius minimae quantitatis, quae experimentis secundum theoriam Daltonis acquiritur, ducit in meliorem cognitionem ipsarum naturarum; et sytema *naturale* elementorum et mixtorum est fructus talis inquisitionis. Quod thema proponere vellem meditationibus eorum philo-

[1] « Gregorianum », *loc. cit.*

sophorum, qui mensuras et inquisitiones mathematice quantitativas nexum cum realitate et causis realibus solvere putant.

* * *

Alia conclusio deducenda est ex analysi nostra, ea quoque alicuius momenti philosophici. Comparantur saepe ad invicem systemata atomismi philosophici et hylemorphismi et huic obicitur, quod non possunt ex eo, sicut ex atomismo, deduci leges illae experimentales pulcherrimae, maximi et universalis momenti, fundamentales in scientia chimica, dum sine ulla difficultate deduci dicuntur ex atomismo, immo sponte ex eo fluere videntur. Et concludunt isti, qui talem comparationem instituunt, atomismum ideo praeferendum esse hylemorphismo, etiamsi concedere debebunt leges illas non contradicere hylemorphismo.

Errant ii qui sic ratiocinantur, ut ex analysi nostra manifestum est. Nam leges illae non sponte fluunt ex atomismo solo sicut nec ex solo hylemorphismo. Etiam in suppositione atomismi hypothesis duplex auxiliaris, quae independens est ab ipso atomismo, addenda est et eadem hypothesis fieri potest in hylemorphismo (sive in sententia eorum peripateticorum, qui admittunt atomos esse actu, sive eorum qui admittunt corpora quoque macroscopica posse esse unum per se); quoad deductionem igitur, quae ducit ad leges stoechiometricas, atomismus nullo modo est in meliori conditione quam hylemorphismus.

Patet hoc ex supra dictis, patet quoque ex historia chimiae. Nam per duo ad minimum saecula ante Daltonem atomismus applicabatur in chimia, quin ullum eius scientiae progressum causaret, et magnae eius evolutionis instrumentum fuit theoria atomica tantum postquam Dalton ei adiunxit suas suppositiones auxiliares. Post hoc et, ut historice evidens est, propter hoc.

* * *

Dicebamus atomismum relate ad hypotheses additionales non esse in meliori conditione quam hylemorphismum eo, quod in neutra theoria ista hypothesis sponte fluit ex ipso systemate fundamentali; dicebamus etiam nec hypothesim actualitatis atomorum nec

suppositionem earum potentialitatis ullam ex verificatis conclusionibus directam probabilitatem haurire, quia in utraque sententia eaedem illae conclusiones eodem modo deducuntur ex solis aliis elementis communibus utriusque theoriae ope additionis Daltonianae. In hoc autem accuratius inquirendum est. Nam fieri posset ut hypotheses auxiliares minus bene cum una quam cum altera sententia fundamentali coniungi possent et in tali casu haec indirecte haberet maiorem probabilitatem ex verificatione conclusionum. Immo si additiones necessariae cum una ex theoriis fundamentalibus apparenter tantum, non autem revera, coniungi posset, haec refutata remaneret, utpote non concordans cum factis. In hoc quoque et in casu atomismi et in casu hylemorphismi inquirendum nobis est, si rem plene diiudicare volumus.

De atomismo primo loco agemus et inquiremus: utrum cum veterum atomistarum systemate plene componi possit hypothesis Daltoniana? Ex principiis suis primariis [1], quae ponebant plenum et vacuum, negabant causam finalem et causam efficientem ipsarum atomorum, optime concludebant Leucippus et Democritus atomos habere omnes figuras possibiles, numero infinitas, omnes possibiles magnitudines (dummodo sat parvas ut singulae atomi sensum effugerent), eas quoque numero infinitas; optime, dico, concludebant, nam principium ponens realitatem (plenum), et principium limitans eam (vacuum), nulla causa efficiente, nulla finali, dirigebantur; unde necessario omnes possibiles figurae et magnitudines debebant admitti. Ipsa limitatio ad exiguas magnitudines iam est, ni fallor, exigentia quae ex ipsis principiis systematis aegre iustificari potest. Et hae atomi in formandis aggregatis, quoad numerum earum quae aggregantur et modum quo aggregantur, limitationem vix pati posse videntur. Sed ecce: hypotheses auxiliares exigunt inexorabiliter utrumque; exigunt paucas quasdam species magnitudinum et figurarum; atomi enim unius elementi sunt eiusdem magnitudinis et figurae et species elementorum chimicorum sunt paucae, excludunt indeterminationem in numero atomorum, quae in minimum mixti aggregantur.

[1] De ipsa metaphysica atomismi postea, Deo favente, agemus in ipso hoc periodico; unde nunc breviter rem expediemus.

Determinatio autem talis in magnitudine et forma supponit rationem sufficientem. Hoc videtur exigi a multarum scholarum philosophis et a sensu communi.

Exigit S. Thomas. Demonstrans enim omne agens agere propter finem ait [1]; « si agens non tenderet ad aliquem effectum determinatum, omnes effectus essent ei indifferentes. Quod autem indifferenter se habet ad multa, non magis unum operatur quam aliud; unde a contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus nisi per aliquid quod determinetur ad unum ». A pari igitur: ubi ex principiis positis sequitur omnem magnitudinem et figuram inveniri debere, simul autem de facto paucae earum realizatae sunt, praeter vel contra ista principia aliud debebit adesse quod paucitatis illius rationem reddat.

Exigit Leibniz [2] dicens: « Il faut rendre raison même des choses éternelles; si l'on suppose que le monde a existé depuis l'éternité et qu'il n'y a en lui que des globules, il faut rendre raison pourquoi ce sont des globules plutôt que des cubes ».

Exigit sensus communis apud omnes mathematicos, qui, applicantes calculum probabilitatis, concludunt ad principium eligens aut saltem determinans ex multis casibus aeque possibilibus paucos eos qui praeter alios multos realizantur.

Principia igitur Daltoniana — ipsa ea principia quae apparenter procuraverunt victoriam definitivam atomismi — utpote limitantia infinite multas magnitudines et figuras ad paucas species, utpote limitantia modos aggregationis atomorum, exigunt positionem rationis sufficientis, causam finalem et causam efficientem ipsarum atomorum, exigunt vires specificas, affinitates « eligentes » chimicas [3]. Principia igitur Daltoniana repugnant ipsi hypothesi fundamentali, saltem prout a Democrito posita erat, et si adhuc systema aliquod atomismi philosophici post Daltonem sustinetur, debet saltem assumere principia quae in certe non levibus corri-

[1] S. Thomas, *Contra Gent.*, III, c. 2.

[2] Couturat, *Sur la métaphysique de Leibniz*, « Revue de Métaphysique », X (1902), pag. 3, apud E. Meyerson, *L'Explication dans les sciences*, Paris, 1921, t. I, pag. 173.

[3] Illustrandae essent magis hae conclusiones, sed ad finem elucubrationis non directe pertinet.

gunt fundamentum Democriti. Perperam igitur E. Meyerson [1]: « Tout a été dit sur ce système, et le moins assurément qu'on en puisse affirmer, c'est qu'il est absolument complet; tel il est sorti des mains de ces Grecs du Ve siècle avant J.-C., tel nous le verrons reparaître, presque sans changements ou avec des retouches insignifiantes, chez les philosophes et les savants jusqu'à la fin du XIXe siècle, c'est-à-dire jusqu'à l'instauration des théories électriques de la matière ». Hoc apparenter quidem verum esse videtur, de facto autem in essentialibus contradicit Dalton Democrito. Tragica est sors systematis Democriti, quod occiditur ipsis illis principiis, quae ei post tot saecula vitam apparenter tam floridam tribuit.

Quid de hylemorphismo? Potestne hoc systema sine mutatione sustinere coniunctionem cum duplici principio Daltoniano? Inquisitio in hoc problema solvendum poterit esse brevis, vel potius non est necessaria, quia solutio iam data est in ipso medio aevo et textus, qui eam continent sunt notissimi. Et notemus ideo eorum valorem esse maiorem, quia, ante experimenta saeculi praecedentis scripti, nullam accommodationis artificialis suspicionem secum ferunt. Dicit nempe S. Thomas [2]: « Etsi corpora mathematica possint in infinitum dividi, corpora tamen naturalia ad certum terminum dividuntur, cum unicuique formae determinetur quantitas secundum naturam sicut et alia accidentia ». Corpora igitur naturalia dividuntur usque ad minima, quantitas huius minimi dependet a forma, ergo a natura specifica; erit igitur eadem pro minimis unius elementi, diversa a quantitate minimorum alius. Ecce quomodo S. Thomas ex ipsis principiis hylemorphismi concludit ad principium Daltonis; nos saltem poterimus concludere amice componi hoc cum illo. Supra dicebamus principia Daltonis nec ex atomismo nec ex

[1] E. MEYERSON, *Identité et Realité*[2], Paris, 1912, pag. 88. Optime autem supponit Meyerson spiritum atomismi moderni et antiqui omnino eundem esse; est enim spiritus metaphysicae Parmenidis, ut alibi probare intendimus.

[2] S. THOM., *Pot.*, q. 4, a. 1, ad 5. Alibi saepe talia repetit. Cfr. *S. Th.*, I, q. 7, a. 3, c.; *2 Sent.*, D. 30, q. 2, a. 1 et 2; *2 Sent.*, D. 14, q. 1, a. 1 ad 4; *I Phys.*, l. 9; *VI Phys.*, l. 3; *II de an.*, l. 8; *De sensu et sensato*, l. 15. Etiam quae ibi dicuntur de influxu materiae et circumstantiarum hodie adhuc applicari possent.

hylemorphismo sponte fluere; hoc pro primo principio et pro hylemorphismo corrigendum nunc esse videtur.

Alterum principium Daltonis quod agit de parvo numero atomorum quae aggregantur in minimum mixti, etiam bene componitur, ut statim manifestum esse videtur, cum principiis hylemorphismi; nihil quod contrarium esset, indicari potest, et discrimen quod est inter mixta perfecta et solutiones, quod antiqui etiam iam agnoscebant, explicationem Daltonis etiam in systemate peripatetico patitur.

Recapitulatio. Applicavimus « regulam discretionis elementorum hypotheseos » quam ante duos annos proposuimus, ad casum theoriae atomicae, quam Dalton initio saeculi praecedentis ad explicandas leges stoechiometricas in scientiam chimicam introduxit. Vidimus theoriam istam, prout proponebatur, esse vere theoriam analogam; elementa superflua, nempe suppositio actualitatis atomorum, hic eliminari potuerunt; restare videtur theoria explicativa univoca, attingens veras causas rerum, quae contendit elementa dividi chimice ad minima determinata pro singulis elementis, quae bene atomi vocari possunt; mixta dividi in minima quae continent, virtualiter saltem, relative paucas atomos elementorum. Haec theoria cum atomismo integro prout a Democrito proponitur, componi non posse videtur; optime autem componitur cum hylemorphismo; unde invitamur ad applicandam theoriam scholasticam etiam in excolenda scientia.

In sequentibus articulis, Deo favente, alias partes theoriae physico-chimicae atomicae indagabimus.


Petrus Hoenen S. I.

Il valore del principio di contradizione
nella filosofia di Aristotele

Summarium. — Quaestio movetur de principio contradictionis ex textu et mente Aristotelis: 1° num directe respiciat obiectum in mente vel in re, et num ita universaliter in re ut valore obiectivo gaudeat reali et metaphysico, atque ideo legem essendi enuntiet potius quam cogitandi; 2° utrum et quomodo penes subiectum cognoscens valore gaudeat scientifico seu demonstrativo. Sequitur praenotio quaedam historica, qua recensentur adversarii ab Aristotele confutati, et ipsa statuitur formula principii. Tum respondetur ad primum quaesitum per assertum valorem principii contradictionis obiectivum in ordine reali et metaphysico. Idque probatur: primo quidem deductione, quia Aristoteles Metaphysicam habuit ut scientiam de ente reali, eiusque posuit iure quodam suo principium contradictionis; et quia, distinctione adhibita inter oppositionem rerum seu terminorum et propositionum, voluit principium contradictionis primo respicere oppositionem rerum contradictoriam, eamque excludendam ab eodem subiecto. Deinde probatur per inductionem quamdam: quia censuit Aristoteles principium contradictionis applicandum in omni scientia et in omni re vel utcumque reali ordine rerum.

> « Τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό ».
>
> L. IV *Metaph.*, c. III.

In questo studio di carattere filosofico retrospettivo, ci proponiamo di esaminare il valore che al principio di contradizione volle attribuito Aristotele in tutta la sua analisi e sintesi scientifica. La completa esattezza con cui egli per primo formulò il principio, e specialmente la inesauribile ricchezza di cui lo mostrò capace nelle sue applicazioni, contraria bensì alla estrema povertà a cui avevano tentato o tentarono poi di ridurlo gli Empiristi e i Nominalisti di ogni tempo, ma insieme sdegnosa delle indebite applicazioni di tutti i Panteisti e Monisti, ci è sembrata meritevole di un attento esame. Non è quindi nostra intenzione di fermarci a provare che A. fu uno strenuo difensore dell'assoluta certezza del principio di contradizione nel suo primo ed ovvio signi-



ficato, e della sua indiretta efficacia dimostrativa per confutare e redarguire i Sofisti e gli Scettici. Non solo egli fu sempre lontano dal dubitarne menomamente, ma credette che nemmeno altri ne potesse mai realmente dubitare in cuor suo e più che a parole. E tuttavia, pur guardandosi bene dal voler dimostrare l'indemostrabile o dichiarare ciò che è chiarissimo di per sè stesso, non lasciò di tracciare l'unica via possibile a tenersi contro i negatori, reali o finti, del primo principio. Se essi proprio non dicono niente, almeno che abbia un senso determinato e fisso, è ridicolo chi se ne occupa: converrebbe trattarli come si tratterebbe una pianta; se poi qualcosa dicono e concedono una definizione, si potrà sperare di farli rinsavire o si ridurranno al silenzio, siano essi un Protagora o un Gorgia o chicchessia. Il procedimento logico non sarà propriamente una dimostrazione (ἀπόδειξις), ma neppure una petizione di principio (τὸ ἐξ ἀρχῆς αἰτεῖν); sarà un modo di redarguirli (ἐλεγκτικῶς) [1], un vero ἔλεγχος, ossia sillogismo del contradittorio [2]. Che se loro dispiaccia la forzata conseguenza, diano la colpa a sè stessi, che troppo sbadatamente l'hanno voluta col rifiuto d'ogni principio; e non a chi gliel'ha cavata di bocca, il quale ha fatto uso della forza di quel tantino di verità che non manca mai anche al più grande errore e che in buona logica fa seguire del vero anche dal falso [3].

Tutto questo noi qui lo supponiamo; nè crediamo di doverci trattenere a dimostrare la grande utilità che il metodo tenuto da A. contro i Sofisti, arrecò poi contro il classico scetticismo di Pirrone e di Sesto Empirico, e quanti altri tentativi furono fatti per rinnovarlo. Il principio di contradizione quale principio di conoscenza inteso nel senso spontaneo e primitivo che A. seppe precisare in termini filosofici, fu sempre quello a cui si ricorse per aiuto negli estremi cimenti: tanta è l'evidenza con cui egli mostrò che un qualche vero valore oggettivo e soggettivo gli riconoscono tutti di diritto e di fatto. Sappiamo però che la contradizione (ἀντίφασις) da escludersi ad ogni costo, non è propriamente l'opposizione contradittoria di proposizioni o di cose, ma l'unione

[1] IV *Metaph.*, c. III, IV e segg.
[2] *Soph. El.*, c. VI.
[3] II *Anal. pr.*, c. II.

di opposti contraddittorî in uno stesso soggetto [1]; e benchè un qualche favore le venga dal nome d'ordine conoscitivo (φάσις, dizione), non è per nulla evidente che il principio la guardi oggettivamente attraverso la conoscenza fin dal suo nascere, o che aspetti a servirsene soggettivamente a dimostrazioni compiute.

Possiamo quindi ancora domandarci: 1° *il valore oggettivo del principio,* pur supposto che in un certo qual modo sia reale, almeno indirettamente e remotamente, è anche, secondo Aristotele, direttamente e prossimamente reale, e nel pieno senso della parola metafisico, sicchè non gli sfugga nè il fieri del mondo nè l'assoluta immutabilità di Dio, ovvero è ideale o logico, e legge del pensiero piuttosto che legge della realtà?; 2° *il valore soggettivo del principio* arriva o no, più in là di una qualsiasi condizione necessaria, ad una vera e propria causalità e funzione scientifica, e questa, diretta o indiretta, immediata o mediata, e fino a qual punto? Ecco i due principali quesiti, uno di valore quasi statico, l'altro dinamico, a cui vuol rispondere il presente studio; nella speranza che le conclusioni riescano pienamente conformi al genuino spirito del principio di contradizione, che è di contradizione assolutamente esclusa, e non di contradizione assolutamente insuperabile o non assolutamente superabile. Se poi e come sia insopprimibile la realtà dell'opposizione contraddittoria nel mondo, o possa ridursi all'opposizione relativa, è un altra questione da risolversi in seguito; in tanto riteniamo nel suo primo significato il supposto d'ogni soluzione. Sia pure che noi talvolta, e anche spesso, ignoriamo il modo di sgominare l'apparente contradizione; sapremo almeno fin d'ora che la verità, quanto è da parte sua, come va sempre d'accordo con ogni verità, così è subito in disaccordo col falso [2]; e contro di sè non avrà mai se non qualche fallacia d'ignoranza d'elenco [3].

L'insieme dei due quesiti non crediamo sia stato fatto mai oggetto di uno studio un po' ampio e particolareggiato, almeno in vista delle stesse conclusioni; benchè tutti i filosofi abbiano sentito il bisogno d'intendersi col principio di contradizione, e nessuno dei

[1] Cfr. *Periherm.*, c. VI e segg.; IV *Metaph.*, c. IV e segg.
[2] I *Ethic.*, c. VI.
[3] *Soph. El.*, c. VI.

commentatori di A. abbia mancato di apportarvi utili osservazioni. Nel duro esperimento scettico dei Pirroniani, che fu come l'epilogo dell'opera dei filosofi greci, fuorviati dopo la morte di A., non si hanno che indiretti riferimenti alla filosofia del principio di contradizione sinceramente ammesso: Sesto Empirico, il grande raccoglitore critico del pensiero filosofico, ce n'è testimonio, dimostrandoci con le sue stesse disquisizioni portate in tutti i rami dello scibile umano, che non si può impunemente svellere il primo principio dal terreno, innanzi tutto teoretico, della realtà in cui ha le sue radici [1]. E dicasi lo stesso di Arcesilao e Carneade e degli altri probabilisti della Media Accademia, che posero a base della condotta umana niente più che il verisimile opinabile [2]. Cicerone, fra i Romani, con quel senso comune di cui era largamente fornito, seppe tenersi lontano da siffatti estremi, ma non aggiunse luce al pensiero di A. se non forse inconsapevolmente, per la maggiore evidenza con cui rischiarò nel campo dialettico e pratico il principio del medio escluso, che « omne pronuntiatum aut est verum aut est falsum, aut etiam aut non » [3]. Non così S. Agostino, Boezio, S. Giovanni Damasceno, S. Tommaso d'Aquino e in generale tutti i dottori e filosofi della Chiesa [4]. Pieni essi del nuovo spirito cristiano, sebbene chi più chi meno Aristotelico che Platonico in filosofia, accettarono tutti con fiducia il valore metafisico del principio di contradizione; e con le cautele usate della distinzione logica tra la realtà dell'*esse in* e la relatività dell'*esse ad*, non meno che tra la divisione adeguata del reale, in sostanza ed accidente, e quella della predicazione, in essenziale, accidentale e relativa; e con tutto quel più e quel meglio che riuscirono a dire del concetto di identità e comunicabilità di essenza e natura, e delle distinte proprietà personali, senza dubbio contribuirono quant'altri

[1] L. I *Adversus Logicos*.

[2] II *Academic. pr.*, c. XXI e segg.

[3] I *Tuscul. Disp.*, c. VI e segg.; I *De Nat. Deor.*, c. XXV; II *Academ. pr.*, c. XXIX, XXX.

[4] Cfr. per saggio, S. Agostino, l. III *contra Academicos*, c. X e XVII, l. V *de Trinitate*, c. IV; Boezio, l. *de Trinitate*, c. V; S. Giov. Damasceno, l. *de fide Orthodoxa*, n. 139 e 140; S. Tommaso, I p., q. XXVII e segg.; e III p., q. XVI.

mai a chiarire e rafforzare in noi la certezza riflessa della universalità del principio d'identità comparata e di contradizione. Ed è pure doveroso riconoscere che essi adoprarono bene il loro ingegno nel dichiarare quella specie di privilegio con cui va trattata la relazione nei riguardi della realtà, e di cui presso A. non troviamo che pochi e brevi accenni [1]. Ma il fatto stesso dell'aver essi cercato più che altro di togliere ogni ombra di contradizione apparente fra i più alti veri e la supposta verità del primo principio, è chiaro indizio che non volevano propriamente quello che noi vogliamo in questo studio: mettere cioè studiatamente in rilievo il valore oggettivo e soggettivo del primo principio secondo lo stesso A. Nè essi ciò fecero, nè lo fecero poi, neppure per andarvi contro, Scoto Eriugena, col suo panteismo della natura; Roscellino, Abelardo, Guglielmo di Champeaux, nella travagliata questione degli universali; Averroe nel suo commento, non del tutto scevro di scetticismo sulla compatibilità del falso col vero in diversi ordini di scienze; Nicola di Autrecourt [2], che ammise la possibilità di un identico significato in proposizioni contradittorie riguardanti Iddio, e ridusse il primo principio alla formula ipotetica, *se qualcosa è, qualcosa è* (si aliquid est, aliquid est). Lo stesso Duns Scoto, che per tendenza di sottile critica, in più di un punto prelude alla filosofia moderna, non pensò qui di apportare nessun notevole cambiamento alla questione, almeno dal lato esegetico. Importante senza dubbio è la sua celebre distinzione formale attuale o *ex natura rei*, e l'asserita univocità del primo concetto di ente, con la sola inequivocabile opposizione contradittoria del nulla all'ente come ente; ma se ciò addita un problema esistente, non vuol dir che lo ponga esplicitamente.

Chiuso invece il Medio Evo, gli Scolastici anche nel commentare A. vedono molte cose sotto un nuovo aspetto. Ecco quindi p. e. il Soncina, il quale giunge a notare che alla cognizione del primo principio concorrono in qualche modo, per mezzo dell'apprensione degli estremi, anche i sensi [3]; e tra quei che ancor più

[1] XII *Metaph.*, c. IV; XIV, c. I e segg.

[2] Cfr. Denifle Henricus O. P., *Chartularium Universitatis Parisiensis*, vol. II, pag. 576 e segg.

[3] *Quaestiones Metaphysicales acutissimae*, q. XXXII in l. IV *Metaph.*

da vicino riflettono l'esigenze dei tempi nuovi per una maggiore comprensione del valore oggettivo e soggettivo del principio di contradizione, troviamo il Suarez. Ha egli un'intera questione per il primo principio nelle sue *Disputationes Metaphysicae* [1]. Pur d'accordo in ciò con Aristotele e S. Tommaso, ne difende il primato e l'indole metafisica, lo riduce ai minimi termini che *nullum ens est et non est*, e lo vuole distinto dal principio di unità, d'uguaglianza e d'identità assoluta. Ma quando di tutto ciò si fa a darci una ulteriore spiegazione, non riesce a sottrarsi al peso apparente di alcune difficoltà che vorrebbero attenuata l'universalità e la forza dimostrativa del principio. Certamente è sua l'opinione che il principio d'identità comparata (nella nota formula, *quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*) non si verifichi assolutamente se non nel finito, potendo l'infinito identificarsi con relazioni opposte [2]; e che esso è bensì il primo principio, ma non la prima proposizione o il primo giudizio formato dall'intelletto umano, e non entra formalmente in nessuna dimostrazione diretta, specialmente se di ordine pratico, ma solo nelle indirette e per riduzione all'assoluto. E questa opinione suaresiana fa tanto più al nostro proposito, in quantochè egli nel sostenerla crede di appoggiarsi alla stessa autorità di A., e non deve essere a caso che la proponga d'accordo con altre sue opinioni sulla verità della cognizione e sulla cognizione della verità.

Le molte altre questioni sorte in appresso, specialmente fuori della Scuola, hanno indubbiamente una certa anche maggiore attinenza col contenuto impersonale della questione che abbiamo per le mani; però, appunto perchè trattate con indipendenza o senza un diretto riferimento ad A., non occorre qui trattenerci a riportarle una per una, bastando accennarne alcune e potendo ognuno da sè farne gli opportuni ovvii confronti. Sia p. e. il principio di ragione sufficiente, dovuto nella sua ultima espressione a Leibniz [3], e proposto nel senso che di ogni cosa e di ogni avvenimento vi è sempre alcunchè di bastevole a renderne ragione a priori, ca-

[1] *Disputat. Metaph.*, III, sect. III.

[2] *Disputat. Metaph.*, VII, sect. III, n. VIII.

[3] Cfr. *Essais sur la bonté de Dieu*, p. I, n. 44; e *Lettres entre Leibniz et Clarke*, nn. 124-130.

pito che sia, perchè così piuttosto che altrimenti: esso, benchè assai lontano dalla semplicità dei veri primi principî, almeno nella sua enunciazione, e confuso in gran parte col principio di finalità, nè interamente immune da ogni sospetto di determinismo; tuttavia facilmente si riconnette col principio aristotelico di causalità formale trascendente. Parimenti l'interpretazione che del principio di contradizione volle dare Kant [1], riducendolo ad un supremo principio logico puramente formale di tutti e soli i giudizî analitici, non ostante l'empirismo nominalistico voluto nascondere sotto gli schemi concettuali delle sue categorie, si presenta subito come una studiata negazione della funzione scientifica del primo principio. La dottrina poi di Hegel [2], che in esso vede soltanto un valore relativo ad un parziale aspetto della realtà, e finisce per porre ogni cosa in contradizione con sè stessa nel suo divenire, ha un riscontro evidente con l'antichissima di Eraclito, ben nota ad A. Ed è precisamente la dottrina hegeliana, che in questi ultimi tempi, e non senza una estrema reazione all'Ontologismo, ha fornito una prima base a più d'un filosofo idealista per la costruzione di sistemi in cui la contradizione trova il suo posto; esclusa bensì dal finito sensibile, ma non dalla realtà del pensiero nella sua infinita pienezza [3]; e similmente esclusa dal pensiero pensato, ma non dal pensiero pensante, dentro cui si muove, senza via d'uscita intelligibile, tutta la realtà [4]. Dicasi lo stesso dell'evoluzionismo generale, in cui sembra che il nulla, con l'attualità a cui intrinsecamente appartiene, voglia porsi a fondamento nella trama dell'essere e del pensare [5]. Nè mancano buoni studî sull'argomento fra gli attuali cultori della Scolastica [6]; ma son la-

[1] Cfr. *Critik der reinen Vernunft, Analytik der Grundsätze*, II Haupt, III Abschnitt.

[2] Cfr. *Logik, Die Identität, Der Widerspruch.*

[3] Cfr. Benedetto Croce, *Logica*, p. I, sez. I, n. VI: *L'opposizione e i primi principî.*

[4] Cfr. Giovanni Gentile, *Teoria generale dello spirito come atto puro*, c. IV; e *Sistema di Logica*, p. II, c. I, *La legge fondamentale.*

[5] Cfr. Henri Bergson, *L'évolution créatrice;* c. IV, *L'existence et le néant.*

[6] Cfr. p. es. G. Zamboni in « Rivista di Filosofia Neo-Scolastica », 1924, pag. 47 e segg.; 187 e segg.

vori che hanno piuttosto in mira il principio di ragione sufficiente o di causalità, e più che ad interpretare il pensiero del Filosofo nel suo testo, tendono a stabilire indipendentemente e personalmente la verità oggettiva: cosa ottima, ma non del genere dello studio che noi ci siamo proposti di fare, speriamo, non inutilmente.

Ed ora torniamo a dichiarare che non reputiamo nostro dovere l'addentrarci qui nella dibattuta questione dell'autenticità delle singole opere di Aristotele: poichè, supposta l'indole comparativa e generale di questo studio, crediamo basti far uso delle migliori edizioni, e servircene in quanto certamente riferiscono il pensiero del Filosofo sui punti capitali della filosofia. Se vi abbiamo premesso un testo determinato, quello tolto dal c. III del l. IV della *Metafisica*, che « τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ καὶ κατὰ τὸ αὐτό » (non può una stessa cosa insieme e sotto lo stesso rispetto essere e non essere); ciò è stato perchè da una parte esso è la più completa ed esatta formula del principio di contradizione, ed è preso da un libro dove A. tratta appunto di proposito di tale argomento; e d'altra parte tutto il contesto, e cento altri testi che a suo luogo citeremo, abbastanza ce ne assicurano la sostanziale autenticità. Sono note l'edizioni recenti delle opere di Aristotele, come quella di Berlino (1831-1870) e l'edizione Didot (Parisiis, 1848-1870): noi nelle citazioni intendiamo riferirci all'edizione Didot, più comune e che offre anche il vantaggio della versione latina; notiamo però una volta per sempre che anche a maggiore intelligenza degli antichi commentatori, riterremo la divisione della *Metafisica* in 14 libri.

Prenozione storica.

2. Le condizioni della filosofia nelle quali apparve provvidenzialmente Aristotele, erano ancora assai tristi, sotto l'influenza dell'arrogante licenza dialettica dei Sofisti, e non ostante l'efficace resistenza che vi avevano opposto Socrate e Platone. Purtroppo continuavano a dire i seguaci di Protagora che finalmente ogni cosa è vera se così sembri veramente a chi la pensa, poichè non vi è altro vero che il relativo, il probabile, il sensibile, e tutta la

verità è doppiamente relativa, soggettivamente, rispetto a questo o quell'uomo (τούτῳ ἀληθές) e soggettivamente, perchè ogni cosa è ad altro (ἀνάγκη πρός τι ποιεῖν ἅπαντα)[1]. Ma non se la prese A. soltanto contro gli avversarî del suo tempo; egli risalì fino ai più antichi, che cercò di conoscere, per giudicare, come in altre, anche in questa questione, con cognizione di causa. Poichè era persuaso dell'obbligo di ascoltare le due parti contendenti prima di assidersi a giudice[2], e del fatto della continuità delle vicende ideali nella storia umana; dove tra i molteplici ricorsi all'infinito, le concezioni attuali tornano in sostanza le stesse e come alcune reliquie che l'uomo riesce a salvare[3].

Orbene A. ebbe anche notizia e dell'India e della Palestina e delle altre regioni fuori della Grecia[4]; non ci consta però che ne subisse un vero influsso, quale invece ve lo esercitarono certamente i primi filosofi greci. Già fin dal principio della scuola ionica anteriore, il fisico Anassimandro, allo scopo di evitare che si faccia ciò che non è e non sia ciò che si fa, avea richiesto un sustrato intrinseco infinito (l'ἄπειρον); ed A. ne apprezzò gl'ingegnosi sforzi, benchè non vi scorgesse un accordo dell'uno col molteplice (ἓν καὶ πολλά) libero da contradizione[5]. Anche l'insegnamento pitagorico del numero e dell'armonia universale, con i suoi elementi del pari e del dispari: imperfetto e infinito l'uno, il pari, perfetto e finito l'altro, ambedue però divisibili finalmente e limitati, e quindi risolubili nell'unità che tutti li contiene; gli si presentò con una certa unione di contrarî, che forse non era voluta da Pitagora, ma che ad A. sapeva di contradittorio[6]. Molto più gli diede a pensare su questo punto Parmenide e gli altri filosofi della scuola eleatica. Facendoci a leggere ciò che dei carmi di Parmenide ci ha conservato Sesto Empirico, si direbbe esser lui un invitto e schietto assertore del primo principio: tanto ci tiene ad ammonire il suo alunno che non voglia mai occuparsi di ciò che non è, perchè *l'ente è e il*

[1] IV *Metaph.*, c. VI.
[2] III *Metaph.*, c. I.
[3] XII *Metaph.*, c. VIII; I *Meteorol.*, c. III.
[4] I *Meteorol.*, c. XIII; II, c. IV; III *Metaph.*, c. IV.
[5] I *Physic*, c. IV; *Fragmenta ph. gr.*, vol. I.
[6] I *Metaph.*, c. V.

non-ente non è; senonchè basta un poco seguirlo nel suo ragionamento, per avvederci che egli non ne è che un interprete esagerato e falso. E così lo giudica A.; non ostante la speciosa ragione ch'egli arrecava nei suoi carmi, che *l'ente o esiste necessariamente tutto insieme o non è per niente* (οὕτως ἢ πάμπαν πελέμεν χρέον ἐστὶν ἢ οὐχί), *perchè pensare è lo stesso che essere* (τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν τε καὶ εἶναι). Chè certo a lui specialmente si riferiva A. nel c. VIII del l. IV della *Metafisica*, e nel c. III della *Fisica*. L'avversario stesso (ivi si dice) il quale ora nega ogni mutazione, una volta non era al mondo, e verrà tempo che non sarà più, nè potrà più alcuno di lui con verità dire che sia; e poi il fatto stesso del sembrarci che ci sia un qualche moto, e del comunque immaginarcelo, ne manifesta l'esistenza. I quali argomenti non solo stringono l'avversario, ma testimoniano anche la generosità dell'autore, sicuro del fatto suo, di non dover per questo cadere un solo istante in contradizione: poichè per quanto convenga rassegnarsi ad ammettere che in un dato istante della mutazione o del moto una cosa in certo qual modo insieme sia e non sia (ἅμα τὸ αὐτὸ εἶναι ὂν καὶ μὴ ὄν); non sarà mai sotto lo stesso rispetto (ἀλλ' οὐ κατὰ ταὐτὸ ὄν), nè mai verificherà un'unione attuale d'ambedue i contrarî in atto [1].

Ma chi più di ogni altro attirò l'attenzione di A., fu Eraclito; anch'egli, benchè per opposta via, giunto alla stessa paradossale conclusione di Parmenide, che debba negarsi la realtà di uno dei termini della supposta opposizione fra l'uno e il molteplice, fra l'essere ed il fieri; ma negandola col toglier di mezzo qualunque sostanziale stabilità. Sono ben conosciute, e possono leggersi nei frammenti rimastici [2], non meno che presso lo stesso A. [3], le forti espressioni di Eraclito sul puro *divenir* di ogni cosa: che come non è possibile scender due volte nell'acqua medesima di uno stesso fiume (e Cratilo aggiungeva, che neppure una volta, ma bisogna contentarsi di segnarla a dito con un gesto muto), così non è dato cogliere per un solo istante la realtà nello stato di prima. Tutto passa (πάντα ῥεῖ): sol restando ferma, in mezzo ad

[1] IV *Metaph.*, c. V.
[2] *Fragmenta philos. graec.*, vol. I.
[3] IV *Metaph.*, c. V.

un continuo rinascimento, la legge dell'eterno fuoco; e senza che vi sia reale diversità fra giovane e vecchio, fra vivo e morto; sicchè noi tutti finalmente siamo e non siamo (εἶμεν τε καὶ οὐκ εἶμεν). Nè con ciò dovette credere Eraclito di dire egli una formale contradizione, o di doverla pensare [1], ma soltanto, forse, che si potesse assolutamente pensare. La premura stessa con cui egli si affrettò a gettar la colpa dell'apparente contradizione sulla infida testimonianza dei sensi, e a cercar di legittimare di fronte alla legge, l'unione perenne dei contrarî, come di utili stonature in continua risoluzione nell'armonia dell'universo: è prova del suo disagio intellettuale a questo riguardo. Questo però è certo che ormai era aperta la via ai Sofisti; e questi non avevano al postutto ogni torto se, con le armi che si eran loro imprudentemente prestate, si avanzavano ad affermare e sostenere la simultaneità di opinioni contrarie in uno stesso soggetto, e quindi anche di termini contradittorî. In generale uno dei contrarî ha sempre del privativo, e la privazione implica un'opposizione contradittoria [2]; in particolare poi l'opinione contraria ad un'altra è del contradittorio [3], e l'oggetto conosciuto si adatta al soggetto conoscente. Sicchè ormai la stessa unione dei contradittorî, per quanto ancora limitata alla dinamica del pensiero sofistico, aveva i suoi protettori nei rappresentanti della filosofia di quel tempo.

Tra i quali certamente primeggiava Protagora, con la sua fondamentale asserzione che deve esser vero tutto ciò che sembra (ἀνάγκη τὰ δοκοῦντα εἶναι πάντ' ἀληθῆ); tanto che intorno a lui fa A. girare anche i seguaci di Eraclito ed Empedocle, Anassagora, Democrito e lo stesso Parmenide: tutti o in una forma o in un'altra impigliati negli stessi pregiudizî. La mente umana è legata alle sue presenti disposizioni; in ogni cosa c'è tutto; l'intelletto non differisce dal senso e questo è variabile; anche il pensiero risente della complessione delle membra. Sicchè finalmente (inferiva A.) essendo le opinioni degli uomini esse stesse contrarie, ogni proposizione sarà insieme vera e falsa, e l'essere sarà come il non essere. E dicono che anche Omero fosse dello stesso parere, rappresentandoci Ettore pazzo dalla ferita, come uno che

[1] IV *Metaph.*, c. III. [2] IV *Metaph.*, c. VI. [3] C. III, *loc. cit.*

aveva altro per la testa [1]. Che se molte di tali opinioni riguardavano in origine una interpretazione della contrarietà dei principî dei corpi, e la loro peggiore estensione ed applicazione all'anima, era stata valorosamente impugnata da Socrate e da Platone, i quali avevano messo al sicuro la stabilità della scienza e del suo oggetto, con la dottrina uno del concetto, l'altro dell'idea; il fatto della sfrenatezza sofistica restava ancora, con grave detrimento del principio di contradizione. E fu appunto qui che A. venne a spiegare la sua provvidenziale attività di filosofo. Da giusto estimatore del vero, ritornò egli sulla soluzione data poco prima da Socrate e da Platone; ma vi ritornò sopra, non tanto per meglio spiegare, sulle orme socratiche, la conoscenza intellettuale del soggetto, quanto per mitigare la spiegazione platonica della corrispondenza fra il concetto e la realtà oggettiva, e specialmente per evitare la contradizione implicata secondo il suo parere nelle idee sussistenti e negli universali separati, del resto tenendosi sempre lontano dal metabolismo di Eraclito.

3. — A questo scopo, nella *Metafisica*, che è la filosofia prima e la scienza dell'ente incircoscritto, e precisamente nel l. IV con cui essa veramente incomincia dopo la precedente introduzione storico-critica, prende a trattare ampiamente del principio di contradizione; e ne fa poi le applicazioni in tutti i libri seguenti, con un riguardo speciale alle idee platoniche quasi continuo, nonchè in tutte le altre sue opere, sempre in qualche modo subordinate alla *Metafisica* [2]. Chi per poco esamini il solo l. IV, ha subito l'impressione che l'autore, più che a dare una qualsiasi prova riflessa del principio (ὅτι ἡ τοιαύτη πασῶν βεβαιοτάτη ἀρχή), bada piuttosto a mostrarne l'universale riferimento alla realtà ed il primato dimostrativo. Ed è notevole che vi ritorna sopra espressamente in quella specie di preparazione prossima che premette nel l. XI alla conclusione della *Metafisica*, dove par che prenda la rincorsa per salire al primo ente [3].

Il nome stesso di *principio di contradizione* può dirsi di origine aristotelica: poichè nei primi capi del l. IV della *Metafi-*

[1] IV *Metaph.*, c. V.
[2] IV *Metaph.*, c. I e III; VI *Metaph.*, c. I.
[3] XI *Metaph*, c. V e segg.

[1] Cfr. CATHREIN, *Der Begriff des sittlich Guten* (« Philosophisches Jahrbuch », 1899, 19-31; 117-129). MAUSBACH, *Zur Begriffsbestimmung des sittlich Guten* (« Philosoph. Jahrb. », 1899, 303-318; 407-421). CATHREIN, *Nochmals zur Begriffsbestimmung des sittlich Guten* (« Philosoph. Jahrb. », 1900, 195-202; 316-324). MAUSBACH, *Nochmals zur Begriffsbestimmung des sittlich Guten* («Philosoph. Jahrb. », 1901, 90-95). CLAVERIE, *A propos du problème moral* (« Revue Thomiste », 1913, 210-213). LEHU, *Philosophia moralis et socialis,* Parisiis, 1914, pag. 101, n. 145. CATHREIN, *Quo sensu secundum S. Thomam ratio sit regula actuum humanorum?* (« Gregorianum », 1924, 584-594). LEHU, *Si la « recta ratio » de S. Thomas signifie la conscience?* (« Revue Thomiste », 1925, 159 sqq.). CATHREIN, *Was ist im Sinne des hl. Thomas die « ratio » als « regula proxima voluntatis » ?* (« Scholastik », 1926, 413 sqq.).

[2] CLAVERIE, « Rev. Thom. », 1913, pag. 212.

[3] « Chaque formule est partiellement vraie, et certaines écoles, insistant sur la portion de vérité, que renferme leur formule, refusent de s'élever jusqu'à la vérité adéquate » (« Rev. Thom. », 1925, pag. 160).

Formula, quae rei, sub uno respectu consideratae, correspondet, erigitur, cum iniusta aliarum exclusione, in adaequatam veritatis expressionem. Quid igitur veri in unaquaque earum contineatur, et quomodo illae inter se componi possint, constituit punctum fundamentale totius quaestionis. Philosopho enim scholastico, habita ratione dictorum S. Thomae, a priori affirmare licet nullam harum opinionum simpliciter falsam esse, vel cum aliis pugnare [1].

Inter solutiones huius problematis, vel potius inter conamina adaequatae huius rei propositionis, quae hisce temporibus suscepta fuerunt, sine dubio eminet solutio, quam sequendo magnum et celebre Commentarium Salmanticensium, dat R. P. Lehu O. Pr. in suo egregio opere « *Philosophia moralis et socialis* » [2]. In qua solutione tamen quaedam desiderantur, quae obstant, quominus vel illa pro adaequata haberi possit. Auctor enim nimis premere videtur formulam suae scholae, omni quidem respectu dignissimam, quae tamen minime unice recta videatur, vindicans illi ius exclusivum exprimendi rationem formalem regulae honestatis, aliis, nonnisi in sensu quodam speciali, diminuto, admissis. Concedit naturam humanam posse dici normam seu regulam honestatis, non tamen regulam proximam et formalem, sed solum fundamentalem et remotam [3]. Idem affirmat de fine ultimo [4], et de essentiali ordine rerum [5]. Quomodo autem fundamentalem illam regulam concipiat, patet ex dictis sub n. 158 praelaudati operis. « Natura — inquit — recte dicitur regula fundamentalis, id est fundamentum regulae rationis ». Inter hanc et illam talis relatio intercedit, sicuti v. g. inter litrum, vel chilograma, et metrum, in quo priores mensurae fundantur [6]. Hinc, secundum ipsum, « multum deficeret,

[1] « L'autorité de saint Thomas nous fait supposer en son esprit une conciliation de vues qui d'abord paraissent s'opposer » (Claverie, « Rev. Thom. », 1913, pag. 213).

[2] *Philosophia moralis et socialis*, Parisiis, 1914, pag. 101 sqq., nn. 145-161.

[3] *Op. cit.*, pag. 112 sqq., nn. 154-157.

[4] *Op. cit.*, pag. 120 sqq., n. 159.

[5] *Op. cit.*, pag. 124 sqq., n. 160.

[6] « Aliud est mensura, aliud mensurae fundamentum. Sic v. gr. liquida mensurantur litro et gravia chilogramate, et non metro, et tamen metrum est principium ex quo desumitur litrum, imo fundamentum totius systematis metrici » (*op. cit.*, pag. 113, n. 154).

si quis haberet mensuram fundamentalem, careret vero mensura proxima, sicut si quis non haberet nisi metrum ad mensurandum pondus bovis »[1]. Ex quibus clare apparet rationem rectam, secundum opinionem praelaudati auctoris, in ratione mensurae differre formaliter tum a natura rationali, tum a fine ultimo, tum ab essentiali ordine rerum, vel potius eam solam unice nomen mensurae mereri, alias vero formulas vocari mensuras sensu improprio, inquantum fundamentum rei ad designandam rem ipsam aliquando sumi potest. Quod nobis — ingenue fatemur — nec cum obiectiva rei veritate, nec cum mente Angelici Doctoris congruere videtur. Putamus enim principales illas formulas, quae ab auctoribus catholicis tanquam normae moralitatis assignantur, ut: ratio recta, natura humana complete spectata, ordinatio ad finem, essentialis ordo rerum — quod rem ipsam attinet, aequivalentes esse, et ut tales a S. Thoma in diversis locis operum suorum adhiberi[2]. Quod quidem hac lucubratione nostra demonstrare intendimus.

Manifestum est, nec potest negari S. Thomam rationem rectam tanquam normam proximam moralitatis in diversis operibus suis proponere. Classicus locus in re sunt illa verba (Iª IIªᵉ, q. 71, a. 6, c.): « Regula voluntatis humanae est duplex: una propinqua, et homogenea, scilicet ipsa humana ratio: alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei ». Qua formula ex auctoritate S. Thomae simpliciter admissa, oritur quaestio, quid S. Doctor per rationem intellexerit? — Ratio enim, fatentibus omnibus, diversa significare potest. « Rationem esse regulam voluntatis — inquit Ioannes a S. Thoma — in confesso est apud omnes... Sed non facile explicatur quid nomine rationis intellegatur »[3]. Ad quam quaestionem, quae sponte oriri videtur, S. Thomas respondet Iª IIªᵉ, q. 90, a. 1, ad 2ᵘᵐ: « Sicut in actibus exterioribus — inquit — est considerare operationem et operatum, puta aedificationem et aedificatum; ita in operibus rationis est considerare ipsum actum rationis, qui est intellegere, et ratiocinari, et aliquid per huiusmodi actum constitutum: quod quidem in speculativa ra-

[1] *Op. cit.*, pag. 117, n. 157.
[2] Cfr. Claverie, « Rev. Thom. », 1913, 210 sqq.
[3] « *Cursus Theologicus* ». In Iᵃᵐ IIªᵉ, Disp. XI, art. 2, n. 17.

tione primo quidem est definitio: secundo enuntiatio: tertio vero syllogismus, vel argumentatio: et quia ratio etiam practica utitur quodam syllogismo in operabilibus... ideo est invenire aliquid in ratione practica, quod ita se habeat ad operationes, sicut se habet propositio in ratione speculativa ad conclusiones: et huiusmodi propositiones universales rationis practicae ordinatae ad actiones, habent rationem legis ». Quod etiam aliis in locis non minus clare S. Doctor affirmat. Ita v. g. posita quaestione utrum lex naturalis sit habitus [1], respondet: « Aliquid potest dici habitus dupliciter. Uno modo proprie et essentialiter: et sic lex naturalis non est habitus. Dictum est enim supra, quod lex naturalis est aliquid per rationem constitutum: sicut etiam propositio est quoddam opus rationis: non est autem idem quod quis agit, et quo quis agit, aliquis enim per habitum grammaticae agit orationem congruam. Cum igitur habitus sit, quo quis agit, non potest esse quod lex aliqua sit habitus proprie et essentialiter. Alio modo potest dici habitus id, quod habitu tenetur: sicut dicitur fides id, quod fide tenetur: et hoc modo, quia praecepta legis naturalis quandoque considerantur in actu a ratione, quandoque sunt in ea habitualiter tantum, secundum hunc modum potest dici, quod lex naturalis sit habitus: sicut etiam principia indemonstrabilia in speculativis non sunt ipsi habitus principiorum, sed sunt principia, quorum est habitus ». Quod autem S. Doctor dicit hic de lege, applicari debet ad normam honestatis, nam « lex quaedam regula est, et mensura actuum » [2]. Non itaque ratio ut potentia vel actus, sed ratio ut proponens obiectum regulat et mensurat honestatem voluntatis [3]. Et quidem, ut apposite hic dicit Ioannes a S. Thoma — « non ex eo praecise quod proponit seu manifestat obiectum, sed quia proponit obiectum proportionatum ei » [4]. Obiectum igitur proportionatum rationi constituit regulam honestatis. Sed iterum venit quaestio: cuinam rationi, quo sensu sumptae, obiectum proportionatum regulat bonitatem actus humani? — Ad quam quaestionem ex mente Divi Thomae respondendum videtur: non rationi ut particulari poten-

[1] Ia IIae, q. 94, a. 1, c.
[2] Ia Iae, q. 90, a. 1, c.
[3] Cfr. Ioannes a S. Thoma, *op. cit.*, Disp. XI, a. 2, n. 25.
[4] *Op. cit.*, n. 23.

tiae, sed rationi ut principio formali specificanti naturam hominis ut talis [1].

In Iª IIªᵉ, q. 18, art. 5, respondens ad hoc: utrum aliqua actio humana sit bona, vel mala in sua specie, S. Doctor dicit: « In actibus humanis bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem... Unicuique enim rei est bonum quod convenit ei secundum suam formam: et malum, quod est ei praeter ordinem suae formae ». Similiter ad quaestionem: utrum vitium sit contra naturam [2], respondet: « Virtus uniuscuiusque rei consistit in hoc quod sit bene disposita secundum convenientiam suae naturae... Sed considerandum est quod natura uniuscuiusque rei potissime est forma secundum quam res speciem sortitur. Homo autem in specie constituitur per animam rationalem.... Unde virtus humana, quae *hominem facit bonum, et opus eius bonum reddit,* intantum est secundum naturam hominis, inquantum convenit rationi... ». In Commentariis autem in libros Ethicorum (l. II, lect. 2) dicit: « Bonum cuiusque rei est in hoc, quod sua operatio sit conveniens suae formae. Propria autem forma hominis est secundum quam est animal rationale. Unde oportet quod operatio hominis sit bona ex hoc, quod est secundum rationem rectam ». Et in tractatu de Legibus, in quaestione, utrum omnes actus virtutum sint de lege naturae [3], dicit: « Ad legem naturae pertinet omne illud ad quod homo inclinatur secundum suam naturam. Inclinatur autem unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem secundum suam formam... Unde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc, quod agat secundum rationem. Et hoc est agere secundum virtutem ».

[1] « La raison qui règle les actes humains d'après leur objet, c'est la raison pratique, celle qui est tout entière tournée vers l'action, et, par l'intermédiaire de la volonté droite ou non, rend nos actes volontaires bons ou mauvais; tandis que la raison sur laquelle se règle l'objet n'est autre que la forme même qui, dans l'ordre de l'être, et non plus de l'action, spécifie la nature humaine, fait de l'homme un animal raisonnable... En conséquence, la raison n'est pratiquement la règle des actions humaines que parce qu'elle l'est d'abord, en sa qualité de forme, de la nature humaine » (GILLET, *Les actes humains.* Notes explicatives [46], pag. 431).

[2] Iª IIªᵉ, q. 71, a. 2, c.

[3] Iª IIªᵉ, q. 94, a. 3, c.

Nullum itaque dubium esse potest S. Thomam ad honestatem actus humani requirere convenientiam eius cum natura humana ut tali. Ratio est principium per quod et in quo natura humana ut talis manifestatur.

« Non sibi, sed appetenti animali appetitus appetit » — dicit fidelis hac in re interpretator divi Thomae [1]. Appetitus enim, qui cognitionem sequitur, et animalis vocatur, eo a naturali, qui sine praevia cognitione exercetur, differt, quod hic « est rei, quia conveniens illi particulari potentiae; animalis vero est rei, quia conveniens toti, seu supposito » [2]. Proinde actus honestus, qui a voluntate, seu ab appetitu rationali procedit et hominem non secundum quid, sed simpliciter bonum reddit, convenire debet non rationi ut particulari potentiae, sed rationi ut principio formali specificanti naturam humanam. Ratio itaque ut potentia intrat in actum humanum solummodo « ut applicans et manifestans ipsam regulam, seu ut mensurator » [3], non vero ut mensura. Mensuram vero constituit obiectum, ratione quidem propositum rationique proportionatum et conforme, non tamen ut proponenti et applicanti illam mensuram, sed conforme rationi ut formatae alia regula superiori, quam in ipsa natura humana in eius exigentiis et inclinationibus suo modo inscriptam detegit [4]. Hinc, ut homo bene moraliter operetur, sufficit considerare naturam humanam ut talem cum omnibus relationibus ex ea pullulantibus et secundum exigentiam huius naturae agere [5]. Ut enim Dom Lottin mentem Divi Thomae sequendo animadvertit: « Fons omnis rectitudinis in natura invenitur... ratio practica discursiva intantum est recta, inquantum fundatur

[1] CAIETANUS, Iª, q. 80, a. 2, n. VIII.

[2] CAIETANUS, Iª, q. 19, a. 1, n. V.

[3] IOANNES A S. THOMA, *op. cit.*, Disp. XI, a. 2, n. 25.

[4] IOANNES A S. THOMA, *loc. cit.*

[5] « L'objet ne règle les actes humains, par l'intermédiaire de la raison pratique, que parce qu'il se règle lui-même sur l'ordre rationnel, autrement dit sur les lois de la nature humaine déterminées spécifiquement par la raison, dans l'ordre de l'être » (GILLET, *op. cit.*, pag. 432). « Il suffira donc à l'homme de consulter sa nature pour connaître les exigences fondamentales de la loi morale naturelle » (Dom LOTTIN, *L'ordre moral et l'ordre logique d'après saint Thomas d'Aquin*, « Annales de l'Institut Supérieur de Philosophie », 1924, pag. 397).

in ratione naturali [1] ». Naturalis autem ratio, quae habitus principiorum, vel synderesis a Philosophis appellatur, est, ut praelaudati auctoris verbis utar: « fidelis et indefectibilis repercussio exigentiarum fundamentalium naturae » [2]. Ratio recta igitur Divi Thomae non est prima regula seu mensura honestatis in ordine creato contenta, sed est regula proxima, quae quidem regulat et mensurat immediate actum voluntatis humanae, sed ipsa quoque alia mensura, eaque in ordine causarum secundarum, formaliter, mensuratur. Quae mensura seu regula rationem practicam hominis mensurans, non est nisi ipsa hominis rationalis natura.

Verum est, S. Thomam rationi rectae hominis tanquam mensuram, seu principium, ex quo habet vim mensurandi actum humanum, assignare legem aeternam, seu rationem divinam [3]. Tamen supremam illam regulam omnis rectitudinis quae in ipsa ratione divina habetur, ratio humana, ut alio in loco S. Thomas dicit, non percipit in se immediate, sed in quantum in essentiali ordine rerum, vel potius in natura humana rationali cum omnibus relationibus ex illa pullulantibus resplendet [4]. Quae quidem « irradiatio » illius supremae regulae ex mente divina cum sensu pleno regulet rectitudinem rationis humanae, non est, cur ei denegetur ratio regulae seu mensurae sensu proprio formali. S. Thomas loquendo de duplici mensura actus humani: proxima in recta ratione sita, et prima in mente divina, — minime voluit excludere aliam mensuram, intermediam. Ad obiectionem enim: unius rei non posse esse nisi unam mensuram, respondet: « Unius rei non sunt plures mensurae proximae: possunt tamen esse plures mensurae, quarum una sub alia ordinetur » [5]. Quod in nostro quidem casu verificatur. Proxima enim regula voluntatis — ratio recta — non est recta per se ipsam, nec per immediatum et exclusivum influxum regulae su-

[1] « On sait la source de toute rectitude: c'est la nature... la raison pratique discursive est droite dans la mesure où elle se fonde sur la raison naturelle » (*op. cit.*, pag. 332).

[2] « Ses énoncés (c'est-à-dire de la synderèse) sont d'une rectitude à toute épreuve; écho fidèle et indéfectible des exigences fondamentales de la nature « (*op. cit.*, pag. 335).

[3] I^{a} II^{ae}, q. 19, a. 4, c.

[4] Cfr. I^{a} II^{ae}, q. 93, a. 2, c.

[5] I^{a} II^{ae}, q. 19, a. 4, ad 1.

premae — rationis divinae — sed inquantum accedit ad aliam regulam creatam, quae in obiectivo ordine rerum habetur. Quae regula, in obiectivo ordine rerum resplendens, non est nisi participatio illius increatae regulae seu mensurae, quae in mente divina exsistit. Talis est mens S. Thomae, et, consequenter ad sua principia metaphysica, talis esse debet. « Sicut speculativa ratio — inquit — dicitur esse recta secundum quod se conformiter ad prima principia habet; ita etiam ratio practica dicitur recta ratio secundum quod se habet conformiter ad rectos fines »[1]. « Manifestum est, quod rectitudo appetitus per respectum ad finem est mensura veritatis in ratione practica »[2]... « finis autem determinatus est homini a natura »[3]. In natura itaque quaerenda est prima regula rectitudinis moralis.

In tractatu de virtutibus ad quaestionem, utrum virtutes intellectuales consistant in medio, S. Doctor dat solutionem, in qua mens eius manifeste apparet. « Bonum alicuius rei — inquit — consistit in medio, secundum quod conformatur regulae vel mensurae quam contingit transcendere et ab ea deficere... Unde secundum quod bonum virtutis intellectualis se habet ad mensuram, sic se habet ad rationem medii. Bonum autem virtutis intellectualis est verum: speculativae quidem virtutis, verum absolute, ut in VI. Ethic. dicitur; practicae autem virtutis, verum secundum conformitatem ad appetitum rectum. Verum autem intellectus nostri absolute consideratum, est sicut mensuratum a re: res enim est mensura intellectus nostri, ut dicitur in X. Metaphys.; ex eo enim quod res est vel non est, veritas est in opinione et in oratione. Sic igitur bonum virtutis intellectualis speculativae consistit in quodam medio, per conformitatem ad ipsam rem... *Verum autem virtutis intellectualis practicae comparatum quidem ad rem habet rationem mensurati. Et sic eodem modo accipitur medium per conformitatem ad rem, in virtutibus intellectualibus practicis, sicut in speculativis* (a nobis subductum). Sed respectu appetitus habet rationem regulae et mensurae »[4]... « intellectus practicus veritatem cognoscit sicut

[1] 3, dist. 33, q. 1, a. 1, q. 2, sol.
[2] *Ethic.*, VI, 2.
[3] *Ibid.*
[4] Iª IIªᵉ, q. 64, a. 3, c.

speculativus; sed veritatem cognitam ordinat ad opus » [1]. Recta ratio igitur, quae respectu voluntatis habet rationem mensurae, per comparationem ad rem habet rationem mensurati. Agnoscit itaque Angelicus Doctor praeter rectam rationem, quae constituit regulam proximam voluntatis, aliam, superiorem, a qua illa immediate quod ad rectitudinem suam pendeat, in re ipsa sitam. Hinc in responsione ad 1um eiusdem quaestionis dicit: « Etiam virtus intellectualis habet suam mensuram » [2], et ad obiectionem positam, quod, si virtus intellectualis, quae medium rationis determinat, seu recta ratio agibilium, etiam in medio rationis consisteret, oportet quod determinetur sibi medium per aliquam aliam virtutem: et sic in infinitum, — respondet: « Non est necesse procedere in infinitum in virtutibus: quia mensura et regula intellectualis virtutis non est aliquod aliud genus virtutis, *sed ipsa res* » (subductum a nobis) [3]. Inquirendo in primum principium mali moralis enumerat per ordinem diversa principia psychologica, quae ad actum moralem eliciendum concurrunt et dicit: « In actionibus moralibus inveniuntur per ordinem quattuor activa principia. Quorum unum est virtus executiva, scilicet vis motiva, qua moventur membra ad exequendum imperium voluntatis. Unde haec vis a voluntate movetur, quae est aliud principium. Voluntas vero movetur ex iudicio virtutis apprehensivae, quae iudicat hoc esse bonum vel malum, quae sunt voluntatis obiecta, unum ad prosequendum movens, aliud ad fugiendum. Ipsa autem vis apprehensiva movetur a re apprehensa. Primum igitur activum principium in actionibus moralibus est res apprehensa » [4]. Nam « res, quae est extra animam, movet intellectum, et res intellecta movet appetitum, et appetitus tendit ad hoc quod perveniat ad hoc, a quo motus incepit » [5]... « inter omnia primum movens est appetibile » [6]... « intellectus practicus propter hoc dicitur movere, quia scilicet eius principium, quod

[1] I^a^, q. 79, a. 11, ad 2um.
[2] I^a^ II^ae^, q. 64, a. 3, ad 1um.
[3] I^a^ II^ae^, q. 64, a. 3, ad 2um.
[4] *Contr. Gent.*, III, 10.
[5] *De Verit.*, q. 1, a. 2, c.
[6] *De anima*, III, 15.

est appetibile, movet » [1]. Scimus autem in unoquoque genere illud quod est principium, esse mensuram primam illius generis [2]. In rebus itaque creatis, seu potius in ipsa natura humana rationali quaerenda est, secundum principia et doctrinam Aquinatis prima mensura bonitatis moralis actus humani, in ordine creato contenta.

Nil mirum itaque Divum Thomam cum de fundamentalibus quod ad rem moralem quaestionibus agitur, ut v. g. de intrinseca quorumdam actuum bonitate, vel malitia morali, vel de primis praeceptis legis naturalis, ad naturam ut rem demonstret, tanquam ad mensuram bonitatis, etiam moralis, recurrere. « Quorumcumque est natura determinata — inquit — oportet esse operationes determinatas, quae illi naturae conveniant... Constat autem hominum naturam esse determinatam. Oportet igitur operationes esse aliquas secundum se homini convenientes » [3]... « omnia illa facienda, vel vitanda pertinent ad praecepta legis naturae, quae ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana » [4]. Apprehensio autem non est actus, quo ex elementis datis in rerum natura construeretur demum conceptus, sed est repraesentatio rei, eaque adaequata. Inter hanc et rem apprehensam quod ad id quod nulla intercedit differentia, sed solum quod ad modum, quo in se, et in apprehensione existit. Nam intellectus in actu, et intellegibile in actu sunt idem secundum notum adagium scholasticorum [5]. Ratio itaque recta, inquantum est mensura honestatis, non differt a natura rationali, seu potius exigentiis eius, quas intellectualiter exprimit. Hinc recte dicit Dom Lottin: « La loi naturelle n'est autre que la nature humaine s'exprimant rationnellement » [6]. Sive igitur natura tanquam regula honestatis ponitur, sive recta ratio, — idem intellegi debet. Qui inter unum et aliud quod ad id quod discrimen introducit, a genuino scholasticorum conceptu recedere videtur.

[1] *Ibid.*
[2] Cfr. Iª IIªᵉ, q. 90, a. 1, c.
[3] *Contr. Gent.*, III, 129.
[4] Iª IIªᵉ, q. 94, a. 2, c.
[5] Iª, q. 14, a. 2, c.; q. 85, a. 2, ad 1ᵘᵐ; q. 87, a. 1, ad 3ᵘᵐ.
[6] *Le Droit naturel chez saint Thomas et ses prédécesseurs*, pag. 85.

Verum est, naturam hominis nude spectatam non esse nisi fundamentum regulae honestatis, — complete tamen spectata, seu cum relationibus, quae ex ea oriuntur, iam non fundamentum, sed ipsa regula dicenda videtur [1]. Nil mirum itaque S. Thomam rationem boni honesti repetere sive ex conformitate cum recta ratione, sive ex convenientia cum hominis natura, tamquam ex uno eodemque formali principio [2]. Qui affirmat S. Thomam rationem — regulam seu mensuram honestatis moralis — opponere naturae, quae constituit mensuram bonitatis physicae, verbis S. Doctoris manifeste vim infert, et mentem eius adulterare videtur. « Pour saint Thomas — dicit Sertillanges — le bien moral se rattache au bien ontologique d'une façon toute directe » [3]. « Le bien ontologique, c'est ce que tout désire; c'est la réalisation ou le moyen de réalisation de chaque être. Le bien moral c'est ce même bien ontologique librement embrassé, sous le contrôle de la raison directrice de nos actes ». « Le bien, c'est ce que tout être recherche, consciemment ou non, intelligemment ou non, c'est sa *réalisation*, c'est son *acte* (ἐνέργεια). Si donc on veut déterminer le bien de l'homme, et par là régler sa recherche, il faut se demander en quoi consiste la réalisation de l'homme, quel est son acte propre (τὸ ἴδιον ἔργον) par opposition aux autres êtres, et cela revient à déterminer sa nature... *Sois ce que tu es!* Cette formule moderne exprimerait à merveille le principe moral d'Aristote; car chaque être, dit-il, trouve son bien dans la disposition convenable à sa nature (ἕκαστον δ'ἐν κατὰ τὴν οἰκειὰν ἀρετὴν ἀποτελεῖται » [4]. « La bonté morale de l'activité humaine — dicit iam supra citatus Dom Lottin — n'est qu'une application de la bonté naturelle de tout être; la morale est un corollaire de la métaphysique » [5]. Idem dicit

[1] « La norme de l'action morale est la nature même de l'être humain ou, si l'on veut, la forme substantielle de l'homme... La norme de l'action est la raison. La loi naturelle s'identifie, pour saint Thomas, avec la raison naturelle. Ce dernier mot qu'est-il autre chose d'ailleurs que la simple transposition de l'expression « nature raisonnable » ? (Dom LOTTIN, *L'ordre moral...*, pag. 397 sq.).

[2] Cfr. Iª IIªᵉ, q. 54, a. 3, c.

[3] *La Philosophie Morale de S. Thomas d'Aquin*, Paris, 1922, pag. 37.

[4] SERTILLANGES, *Saint Thomas d'Aquin*, II, pag. 292.

[5] *L'ordre moral....*, pag. 397.

Stephanus Gilson, qui communi iudicio mentem Angelici Doctoris recte assecutus est[1]: « C'est en intégrant l'homme — inquit — au système des êtres et en le soumettant aux lois métaphysiques du mouvement, que nous avons retrouvé la loi particulière de son activité; de même, c'est en considérant le bien moral comme un cas particulier du bien en général, en ne supposant pas à priori qu'il soit un donné irréductible et quasi miraculeux, que nous l'expliquerons par apparentement aux notions fondamentales de la métaphysique »[2]. « De bono et malo in actionibus oportet loqui sicut de bono et malo in rebus » — dicit S. Thomas initio tractatus de bonitate et malitia humanorum actuum[3]. Cui principio fidelis, fere ubique, cum aliquam quaestionem moralem magis generalem tangit, innititur generali conceptu boni, cuius bonum humanum morale non est nisi una species particularis. In tractatu de virtutibus, ad quaestionem utrum virtus humana sit habitus bonus, respondet: « Sicut supra dictum est, virtus importat perfectionem potentiae: unde virtus cuiuslibet rei determinatur ad ultimum in quod res potest... ultimum autem in quod unaquaeque potentia potest, oportet quod sit bonum... Et propter hoc oportet quod virtus cuiuslibet rei dicatur in ordine ad bonum. Unde virtus humana, quae est habitus operativus, est bonus habitus, et boni operativus »[4]. In tractatu de vitiis, ad quaestionem, utrum vitium contrarietur virtuti, respondet: « In essentia virtutis aliquid considerari potest directe, et aliquid ex consequenti. Directe quidem virtus importat dispositionem quamdam alicuius convenienter se habentis secundum modum suae naturae... Ex consequenti autem sequitur, quod virtus sit bonitas quaedam: in hoc enim consistit uniuscuiusque rei bonitas, quod convenienter se habeat secundum modum suae naturae. Id autem ad quod virtus ordinatur, est actus bonus.. Secundum hoc igitur tria inveniuntur opponi virtuti. Quorum unum est peccatum, quod opponitur sibi ex parte eius, ad quod virtus ordinatur... Secundum autem quod ad rationem virtutis consequitur quod sit bonitas quaedam, opponitur virtuti malitia.

[1] Cfr. « Revue des Sciences Philos. et Theol. », 1925, pag. 493.

[2] *Saint Thomas d'Aquin*, Paris, 1925, pag. 96.

[3] Ia IIae, q. 18, a. 1, c.

[4] Ia IIae, q. 55, a. 3, c.

Sed secundum id, quod directe est de ratione virtutis, opponitur virtuti vitium: vitium enim uniuscuiusque rei esse videtur, quod non sit disposita secundum quod convenit suae naturae » [1]. In opusculo *de Virtutibus in communi* in quaestione, utrum virtutes sint habitus, pro fundamento solutionis ponit generalem notionem virtutis quam ad omnem ordinem entium ex aequo extendit: « Virtus — inquit — bonum facit habentem, et opus eius reddit bonum... haec omnia conveniunt virtuti uniuscuiusque rei. Nam virtus equi est quae facit ipsum bonum et opus eius: similiter virtus lapidis, vel hominis, vel cuiuscumque alterius » [2]. Similiter in art. VII eiusdem quaestionis: « Virtus — inquit — in unaquaque re dicitur per respectum ad bonum; eo quod uniuscuiusque virtus est, ut Philosophus dicit, quae bonum facit habentem, et opus eius bonum reddit; sicut virtus equi quae facit equum esse bonum, et bene ferre sessorem; quod est opus equi » [3]. In art. 2 quaest. 1ae *de Malo*, movens quaestionem, utrum malum sit in bono, haec habet: « Id quod facit bonum unumquodque est proprie virtus eius. Virtus enim est, quae bonum facit habentem, secundum Philosophum in II Ethicorum... Virtus autem est ultimum potentiae rei... Ex quo patet, quod tunc dicitur aliquid bonum hoc, quando habet perfectionem propriam, sicut homo bonus quando habet perfectionem hominis, et bonus oculus quando habet perfectionem oculi. Secundum praemissa ergo apparet tripliciter dici bonum. Uno enim modo ipsa perfectio rei bonum eius dicitur, sicut acumen visus dicitur bonum oculi, et virtus dicitur bonum hominis. Secundo dicitur bonum res quae habet suam perfectionem, sicut homo virtuosus, et oculus acute videns. Tertio modo dicitur bonum ipsum subiectum, secundum quod est in potentia ad perfectionem: sicut anima ad virtutem, et substantia oculi ad acumen visus ». Et in quaestione II, art. 4: « Bonum — inquit — importat quamdam perfectionem, cuius perfectionis privatio malum est... Manifestum est autem quod non est eadem perfectio propria omnium, sed diversa diversorum; sive accipiatur diversitas quae est inter diversas species, ut inter equum et bovem, quorum est diversa perfectio; sive inter genus et spe-

[1] Ia IIae, q. 71, a. 1, c.
[2] *De Virt.*, q. 1, a. 1, c.
[3] *De Virt.*, q. 1, a. 7, c.

ciem, ut inter animal et hominem; aliquid enim pertinet ad perfectionem hominis, quod non pertinet ad perfectionem animalis. Unde aliter oportet accipere bonum animalis et bonum hominis, equi, et bovis; et idem dicendum est de malo... et similiter dicendum est in actibus de bono et malo. Nam alia est consideratio boni et mali in actu secundum quod est actus, et in diversis specialibus actibus. Nam si consideremus actum inquantum est actus, bonitas eius est ut sit quaedam emanatio secundum virtutem agentis: et ideo secundum diversitatem agentium, diversimode accipitur bonum et malum in actibus. In rebus autem naturalibus actus bonus est qui est secundum convenientiam naturae agentis, malus autem qui non convenit naturae agentis et sic contingit de uno et eodem actu diversimode iudicari secundum comparationem ad diversa agentia... Loquimur autem nunc de actibus hominis; unde bonum et malum in actibus, secundum quod nunc loquimur, est accipiendum secundum id quod est proprium hominis inquantum est homo ». Non aliud itaque principium generale bonitatis assignat Divus Thomas pro bonitate actus humani ut talis, et pro bonitate aliorum actuum in ordine naturae; ubique enim convenientia cum natura agentis bonitatem illam determinat. Bonum humanum « est accipiendum secundum id quod est proprium hominis inquantum est homo » — illud autem est natura humana rationalis.

In idem quod supra redit illa formula, quae normam honestatis in essentiali ordine rerum reponit. Per quem ordinem intellegitur ordo seu relatio resultans ex coexsistentia duarum vel plurium essentiarum. Cum enim ille ordo tanquam norma honestatis pro operatione humana proponatur, non sumitur in sua totalitate seu plenitudine, in qua omnes omnino essentias creatas complectitur, sed in illa parte, quae hominem ut ens rationale attingit, quae pars constituitur natura humana rationali cum omnibus relationibus quae ex illa oriuntur.

Quod de natura ut regula honestatis diximus, idem de fine dicendum videtur. Ut enim recte R. P. Sertillanges animadvertit — « La nature et la fin coïncident, sauf que la fin, c'est la nature pleinement réalisée par le moyen de l'activité naturelle » [1]. Quae

[1] *Saint Thomas d'Aquin*, II, pag. 292.

verba menti Divi Thomae plene correspondent. Continuo enim S. Doctor inculcat bonitatem consistere in plenitudine essendi, ad quam ut ad finem ultimum, sibi connaturalem, unumquodque ens, modo naturae suae convenienti, inclinatur. « Homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi — dicit — ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate »[1]... « Cum unumquodque appetat suam perfectionem, illud appetit aliquis ut ultimum finem, quod appetit ut bonum perfectum et completivum sui ipsius »[2]... « Quaelibet voluntas naturaliter vult illud, quod est proprium volentis bonum, scilicet ipsum esse perfectum et non potest contrarium huic velle »[3]... « Finis uniuscuiusque rei est eius perfectio[4]. Quid autem illam perfectionem entis constituat, quae sit eius plenitudo essendi — forma, seu natura uniuscuiusque entis determinat. Ut enim S. Doctor dicit: « Manifestum est quod non est eadem perfectio propria omnium, sed diversa diversorum; sive accipiatur diversitas, quae est inter diversas species, ut inter equum et bovem quorum est diversa perfectio; sive inter genus et speciem, ut inter animal et hominem: aliquid enim pertinet ad perfectionem hominis quod non pertinet ad perfectionem animalis »[5]. Apposite hic loquitur praelaudatus Dom Lottin: « Si la forme substantielle spécifie les agents de la nature dans leur être, elle les définit, par là même, dans leur activité naturelle: celle-ci n'est-elle pas l'épanouissement de l'être et son achèvement? — La forme définit donc, détermine l'activité propre à chaque être. D'autre part, l'activité de tout être de la nature tend naturellement vers un terme, qui est un but poursuivi, une fin. La forme donne donc à l'activité de l'être sa tendance propre, oriente cette activité vers la fin naturelle; elle en est, en d'autres termes, la norme directrice.. Et comme le terme naturel de l'activité d'un être est son bien, on devra conclure que la forme est le principe inclinant l'être vers son bien naturel. On peut donc distinguer en tout être naturel deux éléments: la forme et la tendance naturelle de l'être à des actions

[1] *De Verit.*, q. 22, a. 7, c.
[2] Iª IIªᵉ, q. 1, a. 5, c.
[3] *Contr. Gent.*, III, 109,
[4] *Contr. Gent.*, III, 16.
[5] *De Malo,* q. 2, a. 4, c.

appropriées à cette forme. Tout être de la nature est donc, de par sa forme, doué d'un *appetitus naturalis* ou poussée interne de l'être vers la fin, qui convient à sa nature »[1]... « Il était donc indifférent de chercher la norme de la moralité dans la fin dernière naturelle ou dans l'appétit naturel de la forme substantielle de l'homme »[2].

« Les fins de l'action humaine — dicit Deploige — ne sont donc pas, dans la conception thomiste, un idéal en dehors de toute prise, une vaine chimère, une utopie décevante. Elles sont le terme vers lequel le sujet s'achemine d'un mouvement spontané, le but auquel il tend naturellement. Elles sont formées des biens qui manquent à l'être, qu'il est capable d'acquérir, et dont, en développant ses virtualités, il s'assurera la possession et la jouissance. Au terme de l'effort, nécessaire mais possible, elles constituent l'état de perfection, et se confondent avec l'être pleinement épanoui et devenu vraiment lui-même. Ce n'est pas l'imagination qui les invente, ni la fantaisie qui les conçoit, ni le caprice qui les crée. Elles sont la nature même de l'être s'efforçant vers le mieux-être en suivant ses impulsions profondes. Elles s'imposent à la conscience comme une réalité vivante; elles dictent leurs exigences à la raison; et celle-ci tâche de les traduire en préceptes de vie. Ces préceptes forment l'ossature des morales élaborées par les hommes. C'est dans ces corps de règles spontanées que le philosophe, loin de les inventer, les découvre comme une donnée réelle »[3].

Clarum est sermonem hic esse de fine intrinseco rei, in ordine tamen mere naturali nonnisi finis intrinsecus constituit directe terminum activitatis humanae. Quod patet vel ex illis Angelici verbis quae in Commentariis in libros Ethicorum, habentur: « Bonum finale cuiuslibet rei — legimus in lib. I, lect. 10 — est eius ultima perfectio. Forma autem est perfectio prima, sed operatio est perfectio secunda. Si autem aliqua res exterior dicatur esse finis, hoc non erit nisi mediante operatione, per quam scilicet homo ad rem illam attingat, vel faciendo, sicut aedificator domum, aut quia utitur seu fruitur ea. Et sic relinquitur quod finale bonum cuius-

[1] Dom Lottin, *op. cit.*, pag. 342.
[2] Dom Lottin, *op. cit.*, pag. 363.
[3] Deploige, *Le Conflit de la Morale et de la Sociologie*, 3ème éd., pag. 277.

libet rei in eius operatione propria sit requirendum. Si igitur hominis est aliqua operatio propria, necesse est, quod in eius operatione propria consistat finale bonum ipsius, quod est felicitas... Si autem in aliquo alio dicitur felicitas consistere, aut hoc erit aliquid, quo homo redditur idoneus ad huiusmodi operationem, aut erit aliquid ad quod per suam operationem attingit, sicut Deus dicitur beatitudo hominis » [1].

Et aliter esse non potest. Nam finis extrinsecus rerum communis est, et qua talis nequit dirigere actus proprios diversorum entium. « Diversae creaturae — dicit S. Thomas — diversas habent naturales inclinationes, ita ut quod uni est quodammodo lex, alteri sit contra legem [2]: Hinc « Deus sic est finis rerum sicut aliquid ab unaquaque re *suo modo* obtinendum » [3]. Igitur « ultimum per quod res unaquaeque ordinatur ad finem, est eius operatio » [4]... « unde quod ad propriam operationem bene se habet, dicitur virtuosum et bonum » [5]. Propria autem operatio uniuscuiusque rei ipsa natura entis determinatur, nam operari sequitur esse. « Pour les anciens — dicit R. P. Gillet O. Pr. — la fin est au point de vue dynamique, ce que la forme est au point de vue statique, de l'être: operatio sequitur esse. Il y a, de la part de la chose changement d'état, mais non de nature... Quand je dis de l'homme qu'il est un animal raisonnable ou qu'il doit agir raisonnablement, j'énonce le même jugement d'essence sous deux formes différentes. Tel a toujours été l'enseignement de la philosophie traditionnelle, au nom des exigences objectives de la raison » [6]. Itaque mensura bonitatis moralis actus humani ex fine sumpta ad naturam reducitur.

Quomodo autem voluntas divina rationem regulae pro nostra voluntate ex mente Divi Thomae habeat, patet ex illis quae S. Doctor dicit ad quaestionem, utrum homo teneatur voluntatem suam di-

[1] *Ethic.*, I, 10.
[2] Iª IIªᵉ, q. 91, a. 6, c.
[3] *Contr. Gent.*, III, 18.
[4] *Ibid.*, III, 22.
[5] *Ibid.*, III, 25.
[6] *Les Jugements de Valeur et la Conception positive de la Morale*, « Rev. des Sc. Phil. et Théol. », 1912, pag. 5.

vinae conformare et in quonam illa conformitas consistat? — Ad primam quaestionem affirmative respondet: « Quilibet — inquit — tenetur suam voluntatem conformare divinae. Cuius ratio ex hoc accipi potest: quod in quolibet genere est unum primum, quod est mensura omnium quae sunt in illo genere, in quo perfectissime natura generis invenitur, sicut natura coloris in albedine, quae pro tanto mensura omnium colorum dicitur, quia de unoquoque colore cognoscitur quantum participet de natura generis ex propinquitate ad albedinem, vel ex remotione ab ipsa... Et per hunc modum ipse Deus est mensura omnium entium... Tantum enim unumquodque habet de esse, quantum ei per similitudinem appropinquat... et sic de omnibus quae in Deo et creaturis pariter inveniuntur dici oportet, unde et intellectus eius omnis cognitionis est mensura, et bonitas omnis bonitatis, et, ut specialius loquar, bona voluntas omnis bonae voluntatis. Ex hoc ergo unaquaeque voluntas bona est quod divinae voluntati conformatur. Unde, cum quilibet teneatur ad habendam bonam voluntatem, tenetur pariter ad habendam voluntatem divinae voluntati conformem » [1].

In quo autem illa conformitas consistat explicat ulterius. In voluntate distingui potest ipsa potentia et eius actus. Primo modo considerata voluntas et eius conformitas ad voluntatem divinam non pertinet ad nostram quaestionem, quia est extra genus morum. Secundo vero modo considerata, i. e. ut actus, « ex hoc divinae voluntati conformatur, quod volumus id. quod Deus vult nos velle » [2]. In illo autem quod Deus vult nos velle duo distinguere possumus: « unum quod est quasi materiale, scilicet ipsa res volita; aliud quod est quasi formale, scilicet ratio volendi, quae est finis » [3]. Hinc « ex parte obiecti duplex conformitas inveniri potest: Una ex parte voliti, ut quando homo vult aliquid quod Deus vult: et hoc est quasi secundum causam materialem... Alia ex parte rationis volendi, sive ex parte finis; ut cum aliquis propter hoc vult aliquid propter quod Deus; et haec conformitas est secundum causam finalem » [4]. Quae conformitas « secundum causam finalem » vi-

[1] *De Verit.*, q. 23, a. 7, c.
[2] *Ibid.*
[3] *Ibid.*
[4] *Ibid.*

detur sufficere ad honestatem actus; nam ad obiectionem: voluntatem nostram non posse voluntati divinae conformari in volito, cum ignoremus in plurimis quid Deus velit, S. Thomas respondet: « Volitum divinum, secundum rationem communem quare sit scire possumus: scimus enim, quod Deus quidquid vult, vult sub ratione boni: et ideo quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinae quantum ad rationem voliti » [1]. Ita voluntas nostra voluntati divinae in actu suo conformis esse potest, quia sicut Deus se habet ad ea quae ei competunt, ita nos habere possumus et debemus ad ea quae nobis proprie conveniunt [2]. Itaque voluntas nostra divinae voluntati conformari debet non per aequiparationem, sed per imitationem, et actio nostra actioni divinae, inquantum est nobis conveniens [3]. Iterum ergo naturam nostram habemus, tanquam id in quo mensura actus nostri honesti, utpote voluntati divinae conformis, resplendet.

Quomodo *conscientia* in ratione normae honestatis ex mente Divi Thomae se habeat ad regulas supra propositas haud difficile est determinare. Multis in locis S. Doctor clare dicit conscientiam sensu proprio significare quemdam actum intellectus nostri quo scientia aliunde habita ad opus applicatur « Conscientia — inquit — secundum proprietatem vocabuli, importat ordinem scientiae ad aliquid... Applicatio autem scientiae ad aliquid fit per aliquem actum. Unde ex ista ratione nominis patet quod conscientia sit actus » [4].

« Conscientia... nominat ipsum actum, qui est applicatio cuiuscumque habitus vel cuiuscumque notitiae ad aliquem actum particularem » [5]. Si dicitur regula vel mensura, tunc non aliter, nisi inquantum actus per quem mensura applicatur, mensura quoque vocari possit.

[1] I^{a} II^{ae}, q. 19, a. 10, ad 1um.
[2] *De Verit.*, q. 23, a. 7, ad 9um.
[3] I^{a} II^{ae}, q. 19, a. 9, ad 1um.
[4] I^{a}, q. 79, a. 13, c.
[5] *De Verit.*, q. 17, a. 1, c.

Sunt qui putant apud S. Thomam conscientiam cum ratione recta identificari [1]. Perperam tamen. Imprimis enim ratio secundum S. Thomam ut vidimus significat obiectum, conscientia vero actum intellectus. Deinde, ratio significat regulam universalem (dictamen rationis in universali) [2], conscientia vero applicationem regulae ad casum particularem (dictamen rationis in particulari) [3]. Ratio est mensura et principium directivum actus in quantum est recta [4], conscientia vero in omni casu, sive recta sive non recta, pro regula seu mensura actus particularis quem respicit haberi debet [5]. Aliis verbis, ratio est regula *obiectiva*, conscientia vero *subiectiva* actus, cuius munus est regulam obiectivam, quae in ratione recta habetur, applicare ad casum in particulari determinatum [6].

Analysi diversarum formularum finita, possumus omnes, et mensuras per illas propositas, in quemdam ordinem redigere, in quo duae distingui possunt classes, quarum una complectitur mensuras actuum humanorum quae in primo principio omnis bonitatis, in Deo, inveniuntur, altera vero regulas quas homo pro activitate sua morali in ordine creato habet. Ad primam pertinent ratio et voluntas divina — ad alteram — recta ratio hominis, natura humana rationalis, essentialis ordo rerum, ordinatio ad finem, et conscientia. Absolute prima, ac proinde maxime ab actu humano remota, est illa quae in ratione divinae Sapientiae habetur, quae est mensura prima non solum voluntatis nostrae sed etiam ipsius Dei [7]. Maxime propinqua actui est regula subiectiva quae in conscientia individuali uniuscuiusque hominis reperitur. Inter hanc et

[1] Cfr. « Gregorianum », 1924, pag. 584 sqq.; « Scholastik », 1926, pag. 413 sqq.

[2] Ia IIae, q. 90, a. 1, ad 2um.

[3] Ia, q. 79, a. 3, c.; *De Verit.*, q. 17, a. 1, c.

[4] « Regula humanorum actuum non est ratio quaelibet, sed ratio recta ». 2, dist. 24, q. 3, a. 3, ad 3um.

[5] Ia IIae, q. 19, a. 5; *De Verit.*, q. 17, a. 4, c.

[6] Cfr. « Rev. Thom. », 1925, pag. 159 sqq.

[7] Voluntas non habet rationem primae regulae... dirigitur enim per rationem et intellectum, non solum in nobis, sed [etiam] in Deo... Et ideo primum ex quo pendet ratio omnis iustitiae est sapientia divini intellectus » (*De Verit.*, q. 23, a. 7, c.).

illam aliae collocari debent, et quidem hoc ordine, quod, subiectiva mensura, si recta est, ab obiectiva, in recta ratione proposita dependet. Quae iterum, ut omnis cognitio creata cum suo obiecto quem natura prius supponit, cum essentiali ordine rerum, causali nexu coniungitur. Qui ordo, in illa parte quam haec cognitio respicit, natura humana rationali cum omnibus relationibus suis constituitur, et quidem per ordinationem obiectivam, ex rerum natura sequentem, ad finem ultimum, ordinis eiusmodi principium. Omnia hic cohaerent, et cum metaphysicis Divi Thomae principiis meliori quo possunt modo congruere videntur. Ratio recta est regula proxima bonitatis moralis actus humani, sed inquantum per rationem rectam intellegitur obiectum quod ratio tanquam mensuram actus proponit, eodem prorsus modo essentialis ordo rerum, natura humana rationalis cum omnibus relationibus suis, et ordinatio eius ad finem mensura proxima honestatis dici potest. « C'est la même chose de dire — ut recte animadvertit R. P. Sertillanges: Suis la nature, et de dire: Sois homme, sois raisonnable, sois heureux. Il en serait de même de toute formule assez compréhensive pour fournir un équivalent de celles-ci »[1]. Non una itaque formula datur quae apta nata est obiectivam rei veritatem, et mentem Divi Thomae, quod ad mensuram seu normam bonitatis moralis actus humani, exprimere, sed diversae esse possunt et revera ut vidimus dantur. Nolle illud agnoscere, contrarium esset, si non verbis saltem menti Angelici Doctoris.

EDMUNDUS ELTER S. I.

[1] *La Philosophie morale*..., pag. 135.

Gilles de Rome et Henri de Gand
sur la distinction réelle (1276-1287)

Summarium. — Ex comparatione inter opera Henrici Gandavensis et Ægidii Romani concluditur quaestiones undecim primas Ægidii tractatus qui inscribitur: *Quaestiones disputatae de Esse et Essentia* inter festa Paschalia a. 1285 et festum Nativitatis D. N. I. C. a. 1286 esse conscriptas; quaestiones vero duodecimam et decimam tertiam in quibus Ægidius Quodlibeto decimo Henrici respondet, ante festum Nativitatis a. 1287 esse absolutas, siquidem Henricus eo tempore eas in suo Quodlibeto undecimo refutavit. Ex tota disputatione autem atque ex modo arguendi utriusque Doctoris, adversarium quem impugnavit Henricus in suo primo Quodlibeto a. 1276, fuisse Ægidium ipsum, facile conicitur.

Le regretté Père Chossat, dans un écrit très intéressant, malheureusement encore inédit, s'est efforcé de prouver que dans les discussions passionnées, de 1286-1287, autour de la question de la distinction réelle entre l'essence et l'existence, le seul défendant de la distinction réelle sur lequel s'acharne Henri de Gand est Gilles de Rome.

La question offre un intérêt particulier; car elle repose un problème, jugé résolu depuis les doctes travaux du R. P. Mandonnet[1]: « Le R. P. Mandonnet, écrit le R. P. Rolland-Gosselin, dans sa belle édition du « *De esse et essentia* » de saint Thomas, a mis hors de conteste que les attaques d'Henri de Gand contre la réalité de la distinction entre l'essence et l'existence, dans la question quodlibétique soutenue par lui pendant l'avent de 1276, visaient saint Thomas directement et non pas Gilles de Rome: le premier quodlibet de Gilles, celui où il aborde pour la première fois le problème, est postérieur d'une dizaine d'années... à celui d'Henri. Récemment le R. P. Hocedez, S. J. en se ralliant à cette

[1] Mandonnet, O. P., *Les premières disputes sur la distinction réelle entre l'essence et l'existence,* dans la « Revue Thomiste », t. XVIII, 1910, pag. 741.

manière de voir a proposé de placer aussi le premier quodlibet de Richard de Mediavilla avant celui de Gilles. Richard reprend en la complétant légèrement la doctrine d'Henri de Gand. Les deux adversaires de la distinction réelle sont ainsi pour nous des témoins irrécusables du sens que les contemporains donnaient spontanément à l'enseignement de saint Thomas »[1]. Mgr Grabmann admet les mêmes conclusions[2].

Or le Père Chossat, tout en concédant la date du premier Quodlibet (1285) de Gilles montre qu'avant 1276 celui-ci avait déjà clairement et avec éclat enseigné la distinction réelle[3]; d'abord dans son Commentaire sur le premier livre des Sentences[4], où s'étale la distinction réelle, comme l'avait justement noté Denys le Chartreux[5]; de plus le P. Chossat pense que Gilles avait déjà publié ses *Theoremata De esse et essentia*[6], qui n'ont d'autre but que de l'établir. D'ailleurs dans toutes ces disputes Henri n'a poursuivi qu'un adversaire: Gilles de Rome. Réservant pour un autre article l'examen du premier Quodlibet d'Henri, je me propose de démontrer présentement que dans les années 1286-1287 la lutte s'est concentrée entre Gilles et Henri.

Le lecteur qui aura la patience de me suivre, se convaincra sans peine que les chapitres neuvième et onzième du *De Esse et Essentia*[7] de Gilles sont une reprise de la discussion de 1276. Ces chapitres, en effet, contiennent l'analyse et la réfutation du pre-

[1] *Le « De esse et essentia » de S. Thomas d'Aquin.* Le Saulchoir, Kain, 1926, pag. 200.

[2] M. Grabmann, *Doctrina S. Thomae de distinctione reali...*, dans *Acta Hebdomadae thomisticae,* Rome, 1924, pag. 134, 155.

[3] On ignore l'année où Gilles fut reçu comme Bachelier; mais il est sûr qu'en l'année scolaire 1276-77 il commentait les Sentences. Voir J. S. Makaay, O. E. S. A., *Der Traktat des Aegidius Romanus über die Einzigkeit der Substantiellenform,* Würzburg, 1924, pag. 172.

[4] *Primus Aegidii... correctus* a R. M. Augustino Montifalconio, Venise, Octavius Scotus, 1521, fol. 54, dist. VIII, pars II, princ. 2, q. 1.

[5] Dionysii cartusiani *Opera omnia,* Tournai, t. XIX, 1902, pag. 404.

Quod totum sic etiam breviter perstringi potest: intellectus considerans sensationes externas *evidenter* cognoscit sensus externos immediate percipere aliquid obiectivum, seu distinctum et independens a sensatione. Iamvero si haec evidens cognitio intellectus esset falsa, etiam omnis evidens cognitio falsa dici posset et sic via Scepticismo sterneretur.

Alterum argumentum P. Gredt legitime probat Realismum criticum partialem non posse ultra Phaenomenismum Kantii progredi, quia inter causam et effectum non necessario adest univocatio sed vigere potest analogia tantum et similitudo, unde ex natura effectus non semper possumus pervenire ad propriam naturam causae agnoscendam [1]. Sed ulterius asseritur, nos ex affectionibus subiec-

et très clairement, ce qu'est formellement une vision ou une sensation de contact » (« Gregorianum », 1921, pag. 396, nota). Attamen *improprie* potest aliquo modo cognitionis notio declarari et explanari et illustrari ex comparatione ad alios conceptus. Et sic declaratur cum admirabili luce et profunditate ab Angelico Doctore, qui passim explicat cognitionem per assimilationem aut repraesentationem (cfr. *S. Th.*, I, q. 27, a. 4; *De Ver.*, q. I, a. 1; q. II, a. 5; q. VIII, a. 5, 7, 8; *In III De Anima,* l. 13, etc.). Etsi non omnis cognitio sit *formaliter* et *in actu secundo* assimilatio, est tamen assimilatio saltem *virtualiter* et *in actu primo.* Iamvero assimilatio supponit id cui aliquid assimilatur, supponit aliquod *esse.* Idem dicendum est de *repraesentatione.* Nam repraesentare est manifestare aliquid ita, sicuti est, et non producere. Repraesentatur id quod *est.* Repraesentatio supponit *esse.* Sic omnis cognitio supponit suum obiectum. Verum est, ens rationis formari quidem et constitui a cognitione, sed ipsum ens rationis necessario praesupponit aliud obiectum reale ad cuius instar formatur, ita ut semper necesse sit ut obiectum praesupponatur cognitioni. Si quis tandem assereret scholasticam notionem cognitionis reiiciendam esse in sensatione non vero in intellectione, hoc arbitrarie et sine fundamento statueret, nam communis ratio cognitionis vere convenit tam sensationi quam intellectioni, ut indubie unicuique et experientia propria et sensus communis hominum pariter testatur.

[1] Hoc valet de causa efficiente et finali, nam causa formalis et materialis utpote causae intrinsecae, communicant in natura cum suo effectu. Sed hoc non iuvat Realismum criticum. Nam, si in sensatione nihil, quod percipitur, est distinctum et independens a cognitione, sed totum obiectum est productum ab ea, tunc etiam hoc ipsum, quod sensatio ut extensa sentitur, considerandum est ut productio subiectiva. Unde secundum principia Realismi critici, neque exsistentiam proprii corporis qua talis ex sensationibus cognoscere possumus. Si tamen quis, amandatis principiis Realismi

tivis per principium causalitatis *ne ad exsistentiam quidem alicuius causae a nobis distinctae cognoscendam pervenire posse.*

Quid sentiendum de hac ultima conclusione? videtur illa non plane satisfacere. Dicitur enim: « Ratiocinando ope principii causalitatis secundum Realismum criticum partialem pervenimus ad exsistentiam mundi extrasubiectivi aut *a*) experiendo *positive* affectiones subiectivas esse productas a mundo extrasubiectivo, aut, *b*) experiendo *negative* repraesentationes sensitivas non esse a nobis productas. Atqui utrumque est impossibile. Ergo... Probatur minor: *a*) Si sensus externi non repraesentant nisi subiectivas affectiones, etiam hic influxus ab extrinseco subiectiva affectio tantum est. *b*) Ex eo quod aliqua repraesentatio non pendet a libero arbitrio nostro, non sequitur eam ab extrinseco esse causatam » [1].

Attamen, salva reverentia cl. Autoris, haec, ni fallor, responderi possunt: Quocumque modo sumantur affectiones, sive *positive*, ut productae a mundo externo, sive *negative*, ut non productae a nobis, sive demum *abstracte*, praescindendo ab utraque ratione, semper legitime ducere possunt ad *exsistentiam* causae extrasubiectivae [2], dummodo retineatur obiectivitas idearum et principiorum, quam obiectivitatem Realismus criticus partialis non negat [3].

Etenim, ex quavis mutatione reali, quam in nobis experimur, exsistentia causae extrasubiectivae legitime concludi posse videtur, nam omnis mutatio realis arguit realem limitationem et contingentiam rei mutabilis, realis vero contingentia exigit exsistentiam causae

critici, admittit ipsam sensationem esse *extensam* non solum *phaenomenaliter* (in esse cognoscitivo, intentionali, obiectivo), sed etiam *ontologice* (in esse reali, physico, subiectivo), tunc eo ipso potest et debet admittere subiectum sensationum esse formaliter extensum, seu admittere exsistentiam proprii corporis. Admissa vero exsistentia proprii corporis concludi potest etiam ad exsistentiam aliorum corporum ope *inductionis*, nam similes effectus similem causam postulant. Sic vitatur idealismus acosmisticus, sed hoc non fit nisi amandando principia Realismi critici, ut diximus.

[1] Gredt, *De cognitione sensuum externorum*, n. 48.

[2] Cuius tamen causae *natura* utique manebit nobis ignota, nisi admittatur immediata perceptio sensuum externorum.

[3] *Realismus criticus partialis* est « si, retenta obiectivitate idearum et principiorum, obiectivitas cognitionis sensitivae tantum tamquam probanda habetur ope principii causalitatis » (Gredt, *De cognitione sensuum externorum*, n. 44.

efficientis a re mutabili realiter distinctae. Porro realitas conceptuum causae et effectus, causalitatis et dependentiae, realis distinctionis etc. non destruuntur (saltem directe) per negationem immediatae perceptionis mundi externi. Item exsistentia subiecti cognoscentis eiusque mutabilitas a Realismo critico partiali non negantur. Unde omnia elementa praesto sunt, ex quibus *exsistentia* alicuius entis actualiter exsistentis distincti a subiecto cognoscente per principium causalitatis concludi possit, eodem fere modo sicut ex exsistentia huius mundi aspectabilis exsistentia Entis extramundani demonstratur. Attamen hac via non magis innotescere videtur *natura* causae extrasubiectivae, quam ex mundo corporeo natura Causae Primae [1].

Verissimum quidem est, negata immediata perceptione mundi externi, suspectam evadere realitatem totius nostrae cognitionis, nam si negatur aut in dubium vocatur immediate evidens testimonium experientiae externae, cur non et omnis alia cognitio immediate evidens? et sic lata Scepticismo universali aperitur via, sed hoc sequitur *indirecte* et *per accidens, extrinsece*, propter analogiam et similitudinem unius cognitionis cum altera, non vero *directe* e *per se*, propter intrinsecam et necessariam dependentiam unius quaestionis ab altera.

Unde si sensus argumenti, quod consideramus, alius non est nisi hic: negata obiectivitate cognitionis sensuum externorum *indirecte* labefactatur ipsa obiectivitas idearum et principiorum et sic *indirecte* iter ad probandam exsistentiam alicuius entis extrasubiectivi quodammodo intercluditur, sic argumentatio concedi potest,

[1] Quoniam nihilominus, admissa obiectivitate cognitionis intellectivae, etiamsi negatur obiectivitas sensuum externorum, potest, ut arbitramur, probari per principium causalitatis exsistentia alicuius entis extrasubiectivi, immo Entis absoluti seu Dei, ideo *fortasse* conabitur quis, admisso Realismo critico partiali, concludere ex sapientia et veracitate Dei ad exsistentiam mundi *corporei*, *qua talis*, spectata spontanea, quam de exsistentia corporum habemus, persuasione, et sic evadere Idealismum acosmisticum. Nolumus prorsus reprobare hunc conatum, quamvis parum efficax nobis videatur, negata semel *evidentia* de obiectivitate cognitionis sensitivae. Nam si haec evidentia deesset, tunc «apparens» obiectivitas mundi corporei non magis repugnare videretur veracitati Dei, quam apparens motus caeli aliaeque sensuum illusiones.

sed tunc argumentum hoc non differt ab illo, quod primo loco examinavimus.

Si vero sensus est (ut ex distinctione huius argumenti a praecedente sequi videtur): negata obiectivitate cognitionis sensitivae, *directe* ex *necessaria* et *intrinseca connexione logica* impossibilis redditur probatio exsistentiae alicuius entis extrasubiectivi, distincti a subiecto cognoscente, quasi *obiectivitas cognitionis sensitivae sit unicum et necessarium fundamentum in quo nitatur tota obiectivitas idearum et principiorum, ita ut summoto hoc fundamento omnis obiectivitas idearum principiorumque necessario corruat* — hoc sensu neganda videtur vis argumenti. Nam praescindendo ab obiectivitate sensationis externae asseri et defendi potest obiectivitas cognitionis nostrae intellectivae, obiectivitas conceptuum et principiorum.

Et re quidem vera, quid requiritur ad salvandam obiectivitatem seu realitatem conceptuum? Iuxta definitionem, quam supra in ipso exordio explicavimus, ad hoc requiritur ut cognoscatur aliquid distinctum et independens a cognitione. Sed hoc in sola cognitione intellectuali et experientia pure interna locum habere potest, praescindendo ab experientia externa et ab eo num sensuum cognitio sit obiectiva (cuius rei mentionem iam fecimus refutando Realismum criticum totalem). Nam in sola cognitione intellectuali et experientia pure interna cognoscitur immediate *subiectum intelligens* tamquam aliqua realitas permanens distincta et independens ab actu cognitionis, qui transit; cognoscuntur etiam alii *actus cognitionis*, tamquam realitates distinctae et independentes a cognitione illa, qua cognoscuntur. Unde patet, in sola cognitione intellectiva, praecisione facta a cognitione sensuum externorum, obiectivitatem conceptuum et principiorum metaphysicorum salvari posse. Hac vero obiectivitate semel admissa, *exsistentia* alicuius causae extrasubiectivae, distinctae a subiecto cognoscente, ope principii causalitatis ex contingente exsistentia subiecti intelligentis demonstrari potest, etiamsi propria illius causae *natura* nobis ignota maneat.

Plane itaque assentior his quae prof. Noël in Congressu Thomistico aiebat: « Le *réalisme indirect*, partant de la conscience immédiate d'une réalité psychique pour atteindre la réalité externe au moyen du *principe de causalité*, ne paraît pas résister à la cri-

tique. En effet *il est bien vrai que la réalité de la conscience, si elle est changeante et contingente devra avoir une cause autre qu'elle même.* Mais on ne démontrera pas que les représentations, si elles ne sont que des termes psychiques, aient pour cause *une réalité extérieure dont elles soient la copie* » [1]. Unde *unice* de Realismo critico *totali*, verum esse puto id, quod R. P. Geny in eodem Congressu de solutionibus Realismi critici dixit: « Imo eas omnes invalidas esse, a priori ostendi potest, ex eo quod, admissa indole mere phaenomenali obiecti immediate cogniti, *impossibile est ullum invenire principium quod valore plus quam phaenomenali polleat* » [2].

Ex his quae hucusque disputavimus patet:

1) *Aliquid reale, actuale ordinis metaphysici seu intelligibilis* (saltem subiectum intelligens eiusque actus) *immediate ab intellectu cognosci*, unde *cognitionem intellectivam esse obiectivam quoad conceptus ordinis metaphysici.*

2) *Aliquid reale, actuale ordinis physici seu sensibilis immediate per sensus externos cognosci*, unde *cognitionem sensitivam et cognitionem intellectivam, quoad conceptus ordinis physici, esse obiectivam.*

Sic *realitas conceptuum*, tam ordinis *physici* quam *metaphysici* vindicata censenda est, simulque patet falsitas *Realismi critici* omnis, tum *totalis* (qui negat *immediatam* cognitionem utriusque ordinis: *physici* et *metaphysici*), tum etiam *partialis* (qui negat *immediatam* cognitionem ordinis *physici* tantum) [3].

[1] Congr. thom., Romae, 1925, Communic., ser. I, n. 3.

[2] Congr. thom., Romae, 1925, Communic., ser. I, n. 4.

[3] Aliqui paulo aliter intelligunt realitatem seu obiectivitatem cognitionis. Distinguunt enim duplicem obiectivitatem: unam, quae opponitur *subiecto cognoscenti, qua tali*; alteram, quae opponitur *subiecto ontologico*, seu subiecto ut est realitas ontologica. Hanc obiectivitatem ontologicam attribuunt nonnisi substantiis distinctis a subiecto cognoscente earumque accidentibus.

Ita v. g. Dr. Zamboni: « Così dobbiamo distinguere due concetti dell'*io* o del soggetto... il primo... è l'*io conoscente* puramente come tale... Il secondo... è l'*io ontologico*, fondamento dell'io conoscente... Corrispondentemente ai due concetti del soggetto, due concetti della obbiettività: una obbiettività rispetto all'*io soggetto conoscente* e una rispetto all'*io soggetto ontologico*; la prima è l'*esserci* di un contenuto presente all'io conoscente indipendente, per *esserci*, da lui; la seconda è l'esistenza o l'*essere*

Patet etiam falsitas *Idealismi* cuiuscumque coloris, sive *acosmistici* (qui negat obiectivitatem cognitionis *sensitivae* ac ordinis *physici*), sive *transcendentalis* (qui negat obiectivitatem cognitionis *intellectivae* ac ordinis *metaphysici*) sive *absoluti* (qui negat obiectivitatem utriusque cognitionis et ordinis).

Patet tandem falsitas *Positivismi* et *Sensismi*, qui non tam obiectivitatem, quam ipsam exsistentiam cognitionis suprasensilis seu intellectivae negant et sic ordinem metaphysicum de medio tollunt.

His falsis solutionibus circa realitatem conceptuum exclusis, ut vera relinquitur solutio *Realismi naturalis*, qui *immediatam cognitionem* utriusque ordinis: *physici* et *metaphysici*, atque *obiectivitatem* utriusque cognitionis: *sensitivae* et *intellectivae* profitetur.

Unum adhuc superest discutiendum in ambitu ipsius *Realismi naturalis*: utrum solum *sensibilia communia* (qualitates primariae) an etiam *sensibilia propria* (qualitates secundariae) *immediate* sensibus externis percipiantur. Aliis verbis: num amplectendus sit *Realismus naturalis totalis*. Confusio quaedam, quae hac in re quandoque animadverti potest, ex eo ortum habere videtur, quod

(*ontologico*) *di altri esseri o di accidenti di altri esseri*, distinti dall'*io* come esseri » (GIUSEPPE ZAMBONI, *Discussioni gnoseologiche*. « Rivista di Filosofia Neo-Scolastica », XVII (1926), pag. 31). Secundum hanc circumscriptionem terminorum potest cl. auctor dicere: « *La realtà ontologica del non-io* non è presente; di essa non è presente che il dato del senso; e *la sua realtà ontologica è giudicata con processo derivato*. Quindi *il ponte è necessario per raggiungere la conoscenza della realtà ontologica delle cose del non-io*. Perciò il *ponte* non è necessario in senso assoluto alla conoscenza della realtà ontologica; ma solo a una forma di essa, quella delle cose del non-io » (*ibid.*, pag. 18).

Libenter concedimus obiectivitatem ontologicam hoc sensu intellectam, *ut realitatem distinctam secundum substantiam a subiecto cognoscente*, non cognosci immediate, sed nonnisi per ratiocinium, nam nonnisi per discursum cognoscitur distinctio substantiarum sive numerica, sive specifica; nonnisi per processum illativum cognoscere possumus aliquod obiectum, *ut distinctum a propria nostra substantia eiusque accidentibus*, seu *ut non pertinens ad nostram substantiam*, sed ut *pertinens ad aliam substantiam*. Attamen haec consideratio videtur potius spectare ad Metaphysicam aut Philosophiam Naturalem, quam ad Criteriologiam; versatur enim non circa naturam cognitionis, sed circa naturam rerum extra cognitionem exsistentium.

status quaestionis non semper accurate et stricte determinatur. Dicam breviter quid hac de re sentiam, salvo meliori iudicio.

Apprime distinguenda sunt quatuor genera iudiciorum circa sensibilia propria:

1) *Iudicia apparentiae* in quibus nihil aliud enuntiatur nisi factum internum: nos experiri talem vel talem affectionem subiectivam (v. gr. visionem coloris albi), seu de aliquo sensibili proprio praedicatur tantum esse *obiectum nostrae cognitionis sensitivae,* nihil dicendo de *exsistentia* aut *natura* huius obiecti. Asseritur itaque solum *esse phaenomenale,* non vere *reale,* neque *actuale.*

2) *Iudicia exsistentiae,* in quibus de aliquo sensibili proprio (v. gr. de colore albo) praedicatur *exsistentia realis actualis,* extrasubiectiva, seu enuntiatur sensibile proprium esse aliquid extrasubiectivum, reale, exsistens, distinctum et independens a cognitione.

3) *Iudicia attributionis,* in quibus aliquod determinatum sensibile proprium attribuitur alicui *determinato subiecto* reali (v. gr. esse album attribuitur chartae, marmori etc.) seu de aliquo determinato sensibili proprio praedicatur esse in aliquo determinato subiecto reali.

Tandem 4) *Iudicia naturae,* in quibus aliquod sensibile proprium attribuitur alicui subiecto reali tanquam necessario connexum cum natura subiecti, seu de aliquo sensibili proprio praedicatur esse *proprietatem* alicuius naturae (v. gr. album esse proprium nivis, calcis etc.).

Itaque nulla est in praesens controversia de *iudiciis apparentiae,* ut patet. Omnes admittunt illa esse immediate evidentia et vera, versantur enim circa *phaenomena* subiectiva. Item, non agitur de *iudiciis naturae*; omnes pariter concedunt illa esse fructus inductionis, non esse immediate evidentia, proinde falsa esse posse. Quapropter quaestio versatur solum circa iudicia *attributionis* et *exsistentiae,* utrum scil. sensibilia propria sint aliquid reale et utrum insint illis rebus quibus attribuuntur.

Restringamus interim statum quaestionis ad sola *iudicia exsistentiae.* Agitur ergo nunc *unice* de hoc, utrum *obiectum formale* sensuum externorum (color, sonus, odor, sapor, tangibilis qualitas),

id quod sensibus externis *immediate, primo* et *per se,* percipitur, sit aliquid *reale, extrasubiectivum, distinctum* et *independens ab actu cognitionis* an non.

Ad quaestionem sic positam et circumscriptam respondendum omnino videtur affirmative, scil. non solum sensibile commune, sed etiam sensibile proprium, seu obiectum quod *immediate, primo* et *per se,* a sensibus externis percipitur, *esse aliquid reale, exsistere formaliter extra cognitionem, a parte rei.* Ratio vero fundamentalis huius asserti est, ut videtur, ipsa *immediata evidentia* facti, seu *immediata evidentia iudiciorum exsistentiae,* quibus asseritur *id quod a sensibus externis immediate percipitur, esse aliquid exsistens, distinctum et independens a cognitione.* Confirmari autem thesis haec potest ex comparatione cum sensibilibus communibus, quae quoad exsistentiam eodem prorsus modo ut realia percipiuntur sicut sensibilia propria; si ergo his realitas denegatur, pari ratione deneganda est et illis, et tunc actum est de immediata perceptione mundi externi, et habetur *Realismus criticus partialis,* qui, ut supra ostensum est, Scepticismi periculum inducit et Idealismum acosmisticum vitare difficile posse videtur.

Quod attinet *iudicia attributionis,* res magis complexa et intricata apparet. De iis haec fortasse dici possunt: Iudicia attributionis quae *communiter proferuntur non sunt immediate evidentia,* sed ut sint vera et certa, supponunt quandam *inductionem* et aliquem, etsi obvium, discursum, qui per usum et consuetudinem adeo simplificari potest, ut modo spontaneo et quasi inconscio peragatur ac fere non advertatur. Quo fit, ut iudicia attributionis, quae communiter proferuntur, saltem approximative sint vera, quod sufficit ad fines vitae practicae. Ratio vero, quae eiusmodi circumspectionem circa iudicia attributionis suadeat, haec esse videtur: sensus externus infallibiliter cognoscit rem, quae *immediate* agit in sensum; res vero, quae immediate agit in sensum, est illa, quae *immediate* tangit sensorium.

Quamobrem ad quaestionem de valore iudiciorum attributionis possumus cum distinctione respondere: *iudicia attributionis sunt immediate evidentia et infallibiliter vera, quatenus referuntur ad corpus quod immediate tangit sensorium, non vero quatenus referuntur ad corpus distans.* Sensatio externa, ut nobis videtur, est

cognitio essentialiter intuitiva, quae necessario postulat realem praesentiam sui obiecti, ideoque circa suum obiectum stricte *proprium* seu *immediatum* sensus externus nunquam errat. Tota difficultas in eo est, ut exacte determinetur obiectum *immediatum* uniuscuiusque sensus. Ubi ergo quaerendum est hoc *obiectum proprium* seu *immediatum* sensuum externorum? *In ipso contactu cum extremitate nervi sensitivi,* ut putat P. Gredt [1].

[1] Iosef Gredt, *Unsere Aussenwelt. Eine Untersuchung über den gegenständlichen Wert der Sinneserkenntnis,* Innsbruck, 1921. Cfr. P. Geny, *Quelques ouvrages de Philosophie,* « Gregorianum », II (1921), pag. 392-403, ubi ait: « Mais où chercher l'*objet immédiat* du sens externe? *Au contact même* des terminaisons du nerf sensitif », *ibid.*, pag. 397.

Hic quaeri potest utrum qualitas, quae immediate a sensu percipitur ideoque tangit nervum sensitivum, inhaereat tamquam accidens organo, seu corpori ipsius subiecti cognoscentis, an medio circumstanti, seu corpori externo, distincto a subiecto cognoscente, v. gr. aetheri, aëri etc. Quaestionem hanc nolumus hic dirimere. Hoc tantum animadvertere iuvat: non videtur repugnare obiectivitati cognitionis, si qualitas, quae immediate percipitur, dicatur inhaerere ipsi organo, modo haec qualitas sit distincta et independens ab actu cognitionis. In hoc sensu dicit P. Geny: « Ce que prétend l'Idéalisme, c'est mettre l'objet immédiatement connu *dans la conscience,* lui donner un être purement psychique, vérifiant la formule berkeleyienne: *esse est percipi.* Or ici l'objet immédiat reste *au delà de la conscience,* comme l'est tout le corps du sujet connaissant » (*loc. cit.*, pag. 399).

Sed si obiectum immediatum est *intraorganicum,* seu inhaerens corpori subiecti cognoscentis, quaeri ulterius potest, quomodo fit transitus ab hac realitate intraorganica ad realitatem extraorganicam, seu ab exsistentia proprii corporis ad exsistentiam corporum exteriorum. Respondetur transitum hunc a cognitione proprii corporis ad cognitionem corporum externorum fieri ope *iuductionis*; nam eodem prorsus modo (ut obiectum mediatum) possumus percipere corpus proprium et alia corpora; unde, si constat de exsistentia proprii corporis, pariter constabit de exsistentia aliorum corporum; si id, quod causat (mediate) sensationes, quando percipimus (ut obiectum mediatum) proprium corpus, re vera est corpus, profecto etiam id, quod causat easdem sensationes, quando percipimus corpora externa, re vera erit corpus. Quod si agitur de cognitione corporum non *quae sunt externa,* sed *quatenus sunt externa,* seu *quatenus* sunt distincta a nostro corpore, dicendum est (ut supra iam adnotavimus) cognosci iterum per inductionem ex effectibus, seu operationibus, quatenus distincta corpora distinctas et independentes habent operationes, *operari enim sequitur esse.*

Sed haec ad campum Philosophiae Naturalis pertinent, ubi de numerica atque specifica distinctione substantiarum tractatur.

Hac in doctrina circa iudicia attributionis differt *Realismus naturalis totalis*, qui dici potest *modernus*, aut *scientificus*, a *Realismo naturali totali antiquo*, aut *spontaneo*, *vulgari* (« naïf ») qui asserit in conditionibus debitis (ut sunt sanitas organi, dispositio normalis, applicatio conveniens, medium ordinarium, obiectum proportionatum etc.) ipsa corpora *distantia* esse obiectum *immediatum* sensuum externorum, ipsisque corporibus *distantibus* attribuit illas qualitates sensibiles quas sensus *immediate* apprehendit [1].

Hic finem imponere possumus quaestioni de cognitione sensuum externorum. Nolumus tamen silentio praeterire quandam opinionem, quae immediatam cognitionem mundi externi salvari posse autumat negata obiectivitate *sensibilium*, quae dicuntur *propria* seu *qualitatum secundariarum*.

Sententia est P. Gründer, sensibilia propria esse *medium in quo* ad instar *verbi mentis*, quod non facit cognitionem mediatam [2]. Appellat cl. Auctor ad doctrinam scholasticorum, qui *verbum mentis*

[1] Pro pleniori notitia huius gravissimae quaestionis de sensatione externa et pro difficultatum solutione remittimus lectorem ad supra citata egregia opera R. P. Gredt: *De cognitione sensuum externorum, inquisitio psychologico-criteriologica circa Realismum criticum et obiectivitatem qualitatum sensibilium*, Romae, 1913; ed. 2ª, 1924. *Unsere Aussenwelt. Eine Untersuchung über den gegenständlichen Wert der Sinneserkenntnis*, Innsbruck, 1921. Item, *Le dernier fondement de notre certitude du monde sensible*, « Revue thomiste », 1922. Cfr. P. Geny, *Quelques ouvrages de Philosophie*, « Gregorianum », 1921, pag. 395-403.

Aliter explicat cognitionem sensitivam, aliterque solvit difficultates, huc pertinentes, R. P. Boyer qui cum P. Gredt in eo concordat quod admittit *qualitates secundarias formaliter exsistere a parte rei easque immediate a sensibus cognosci*, ideoque amplectitur Realismum naturalem totalem, sed magis ad tramitem antiquorum. Differt itaque a P. Gredt in modo explicandi obiectum immediatum eiusque praesentiam: iuxta hanc explicationem sensatio non est essentialiter intuitiva; *per se* obiectum eius exsistit *formaliter* extra sensationem, quamquam *per accidens* potest in casu particulari non exsistere nisi *virtualiter*; porro obiectum cognitum est *per se* qualitas ipsius rei, quae a sensu communi hominum dicitur cognita. Cfr. Ch. Boyer, *Réflexions sur la connaissance sensible selon saint Thomas*, « Archives de Philosophie », vol. III, cah. 2, pag. 97-116.

[2] Gruender, *De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et sonis*, Friburgi Br., 1911.

seu *speciem expressam* admittunt in intellectione obiecti, quam tamen cognitionem immediatam esse affirmant. « Colores et soni exsistunt in ipsis corporibus *fundamentaliter tantum, formaliter* autem *in ipso actu sensationis* » [1]. « Sonus *formalis* exsistit *in ipso actu auditus* ad modum « *verbi mentis* » in quo corpora vibrantia cognoscuntur sine ullo ratiocinio et sine ulla reflexione (explicita)» [2]. « Color *formalis* exsistit *in ipso actu visionis* simili modo ac sonus formalis, in actu auditus ad modum « *verbi mentis* », in quo corpora sine ratiocinio vel reflexione (explicita) cognoscuntur » [3]. « Colores, soni etc. *formales* sunt quidem termini mentales *producti*, et se habent *ad modum verbi mentis, in quo* corporum proprietates cognoscuntur » [4].

Sed opinio haec ac comparatio cum verbo mentis nequaquam sustineri posse videtur. Nam *medium in quo* intrinsecum seu formale (species expressa, verbum mentis) si spectatur *subiective*, ut aliquid distinctum a re cognita et productum per cognitionem, nullo modo *directe* attingitur *in actu signato*, sc. ut *obiectum quod* cognoscitur, sed solum *in actu exercito*, sc. ut *id quo*, aut *in quo* aliquid cognoscitur, seu *quo* aliquid sistit menti, fit praesens et proportionatum cognitioni. « Manifestum est... quod *species intelligibiles* quibus intellectus possibilis fit in actu, *non* sunt *obiectum* intellectus. Non enim se habent ad intellectum sicut *quod* intelligitur, sed sicut *quo* intelligit... *quod* intellectus intelligit est *quidditas quae est in rebus*, non autem species intelligibilis, nisi inquantum intellectus in seipsum reflectitur » (*In III De Anima*, l. 8). Item « *Obiectum* intellectus est *ipsa rei essentia*, quamvis essentiam rei cognoscit per eius similitudinem, *sicut per medium cognoscendi, non sicut per obiectum in quod primo fertur eius visio* » (*De Ver.*, q. X, a. 4, ad 1). Cfr. *S. Th.*, I, q. 85, a. 2.

Si vero *medium in quo* (species expressa, verbum mentis) *obiective* spectatur, est *id* ipsum *quod de re intellecta concipitur*. « Hoc ergo est *primo* et *per se* intellectum *quod intellectus in seipso concipit de re intellecta*... Hoc autem sic ab intellectu conceptum di-

[1] *Op. cit.*, pag. 5.
[2] *Op. cit.*, pag. 6.
[3] *Op. cit.*, pag. 8.
[4] *Op. cit.*, pag. 18.

citur *verbum interius* » (*De Pot.*, q. IX, a. 5). Unde verbum mentis obiective spectatum, quoad *id quod* repraesentat, non est aliud a re intellecta, differt autem ab ea *quoad modum quo* repraesentat (v. gr. abstracte, composite, etc.), nam alius est modus quo res est in intellectu et alius quo est a parte rei, extra intellectum [1]. Sed hic modus, quo res est in intellectu, tenet se ex parte subiecti et nihil ponit in obiecto nisi « esse praesens » facultati cognoscitivae, « esse in cognoscente », « esse cognitum », « esse repraesentatum » hoc aut illo modo, v. gr. « esse abstractum », « esse iudicatum » etc. (Cfr. *S. Th.*, q. 13, a. 12, ad 3; I, q. 14, a. 6, ad 1; I, q. 85, a. 1, ad 1).

Quare « *medium in quo* » intrinsecum seu formale (scil. verbum mentis, species expressa) modificat quidem obiectum, sed nonnisi reddendo illud *praesens* facultati cognoscitivae, non solum in actu primo, per modum principii cognitionis (quod facit species impressa), sed in actu secundo, per modum termini cogniti, seu reddendo obiectum *actu cognitum in cognoscente*, magis aut minus perfecto modo [2]. Quae omnia nullo modo conveniunt sensibili proprio, seu obiecto formali sensuum externorum. Nam sensibile proprium (v. gr. color) est *determinata perfectio obiectiva*, quae cognoscitur *directe* et *in actu signato, ut quod*; porro si consideratur secundum suam *rationem obiectivam*, quoad *id quod* concipitur, nullo modo identificatur cum sensibili communi (v. gr. extensione), sed est perfectio obiectiva prorsus *distincta* ab illo; tandem non est ipsum « *esse praesens* » aut « *esse cognitum* » obiecti. Nihil itaque habet sensibile proprium ex iis quae competunt *verbo mentis*, seu *medio in quo*.

De hac re optime ait P. Geny: « La position du P. Gründer est en tous cas insoutenable... il est impossible d'être interprétationiste sans être « médiatiste ». La couleur « formelle », le son « formel » sont bien, par définition même, ce que nous atteignons immédiatement: si ce sont des productions de la faculté, la connaissance est nécessairement médiate. Rien ne sert d'invoquer la doctrine scolastique sur le verbe mental, qui, *medium in quo res*

[1] « Alius est enim modus intellectus in intelligendo, quam rei in essendo » (*S. Th.*, I, q. 13, a. 12, ad 3).

[2] Cfr. Ioannes a S. Th., *Phil. Nat.*, p. III, q. XI, a. II.

cognoscitur, laisse pourtant à la connaissance intellectuelle son caractère immédiat. La parité n'existe pas: dans la connaissance intellectuelle, il y a *pure abstraction; l'esprit débarrasse la quiddité de la gangue matérielle qui l'individualise, il n'y ajoute rien;* de plus, la quiddité, ainsi « désindividualisée », n'a plus d'unité numérique, mais seulement son unité formelle, ou d'essence, elle n'est plus *une autre chose* que le singulier. Une représentation obiective *sensible* serait au contraire un autre objet que le représenté, surtout si elle le représentait sous des modalités d'emprunt. Il n'y a pas à conserver d'illusion: admettre que les qualités secondes sont des *modalités sous lesquelles* nous percevons les corps, c'est introduire dans notre connaissance des formes subjectives, au sens kantien du mot, c'est en introduire à la base même [1].

Concludamus: solutio problematis *de obiectivitate conceptuum* ducit nos ad admittendum *Realismum naturalem totalem*, ad cognoscendam realitatem conceptuum ordinis tam *metaphysici* quam *physici*, tam *sensibilium communium*, quam *sensibilium propriorum*, quorum omnium realitas immediate a nobis cognoscitur.

V. — Corollaria.

Corollaria quaedam ex dictis deducenda supersunt, quae considerationi nostrae hoc loco se offerunt.

Postquam obiectivitatem utriusque cognitionis, sensilis et intellectivae, examinavimus, poni ac solvi potest problema: « *quomodò quaestio de valore cognitionis sensitivae ad quaestionem de valore cognitionis intellectivae se habeat* » [2] (cfr. Congr. Thom. Romae, 1925, Schema praevium).

[1] P. Geny, *Quelques ouvrages de Philosophie*, « Gregorianum », 1921, pag. 397, nota.

[2] Hic instituere iuvat comparationem cognitionis sensitivae cum intellectiva non solum sub aspectu *critico*, sed etiam *psychologico* et *metaphysico*. Omnis cognitio fit « *secundum quod cognitum est in cognoseente* » (*S. Th.*, I, q. 16, a. 1), sed diverso modo:

1) In *sensatione externa*, quae est cognitio imperfectissima, cognitio tendit in rem cognitam, *secundum quod est in cognoscente, non simpliciter*, sed *secundum quid*: quoad *id quod* cognoscitur, non quoad *modum quo* co-

Ad problema sic positum haec respondenda esse arbitramur.

1) Utraque quaestio solvitur *immediate*, nam, ut vidimus, obiectivitas utriusque cognitionis, tum *sensitivae* tum *intellectivae* est *immediate* evidens, *immediate* a nobis cognoscitur. Itaque neutra quaestio praesupponit alteram per modum *praemissae*, cui solutio alterius innitatur. Attamen ordo quidem dependentiae intrinsecae inter utramque quaestionem sine dubio exsistit.

Unde 2) Si agitur de dependentia et prioritate utriusque quaestionis, haec tenenda esse videntur: *Materialiter* (scil. non sub

gnoscitur, scil. cognoscitur *id quod* est (per speciem sensibilem) in cognoscente, sed non cognoscitur *ut est in cognoscente*, sed *ut est extra cognoscentem, ut est a parte rei.* « Oculus enim non cognoscit lapidem secundum esse quod habet in oculo, sed per speciem lapidis, quam habet in se, cognoscit lapidem *secundum esse, quod habet extra oculum* » (*S. Th.*, I, q. 14, a. 6, ad 1).

2) In cognitione perfecta qualis est *actus iudicii* et *reflexionis* (idem dicendum esse videtur de cognitione angelica) cognitio tendit in rem *secundum quod est in cognoscente simpliciter*, non solum quoad *id quod* cognoscitur, sed etiam quoad *modum quo* cognoscitur, scil. cognoscitur non solum *id quod* est (per speciem intelligibilem) in cognoscente, sed etiam *ut est in cognoscente*, cognoscitur *ut cognitum*.

3) Tandem in cognitione, quae est veluti media inter illas duas, qualis est nostra *simplex apprehensio directa*, cognitio tendit in obiectum medio modo se habens inter duas praecedentes cognitiones, nam cognoscitur *id quod* est (per speciem intelligibilem) in cognoscente, tamen *neque ut est in cognoscente, neque ut est extra cognoscentem*, sed *secundum se, absolute, abstracte* a modo quo est a parte rei, et a modo quo est in cognoscente.

Et quia nulla res creata ex se est in cognoscente in actu secundo, seu nulla est ex se actu cognita (quia nulla res creata est suum cognoscere), neque ulla res est extra cognitionem abstracta a modo quo est a parte rei, ideo in omni intellectione rei creatae requiritur *species expressa*, seu *verbum mentis*, ope cuius cognitum est obiective in cognoscente, ut *cognitum*, aut saltem *ut abstractum* a modo quo est a parte rei. Illud tantum obiectum ex se est intellectum in actu, quod ex se est intelligens in actu, et eiusmodi est solus Deus, cuius esse est suum intelligere. Omnis vero res creata sicut per aliquid aliud fit *intelligens in actu*, scil. per *intellectionem*, ita per aliquid aliud fit *intellecta in actu*, scil. per *speciem expressam*.

Aliter res se habet in sensatione externa. Cognitio haec, ut dictum est, fit etiam secundum quod cognitum est in cognoscente, sed ita ut cognitio tendat in rem *quae est* (per speciem sensibilem) in cognoscente, at *non prout est in cognoscente*, sed *prout est extra cognoscentem, a parte rei*. Unde in cognitione sensuum externorum nulla requiritur *species expressa*.

conceptu realitatis) per simplicem apprehensionem sensuum *prius* cognoscitur realitas *ordinis physici* et realitas cognitionis *sensitivae*, nam cognitio sensitiva prior tempore in nobis est quam cognitio intellectiva, sicut imperfectum in via generationis prius est quam perfectum in eo, quod transit de potentia in actum [1]. *Formaliter* vero (scil. sub conceptu realitatis, qua talis) et *ut certa prius* cognoscitur realitas *ordinis metaphysici* et cognitionis *intellectivae*, quam realitas ordinis physici et cognitionis sensitivae. Nam tum ipse conceptus *realitatis qua talis*, tum *certitudo* nonnisi in cognitione intellectiva invenitur, per cognitionem vero intellectivam prius cognoscitur ordo *metaphysicus* (seu intelligibilis) et ipsa cognitio *intellectiva*, quam ordo *physicus* (seu sensibilis) et cognitio *sensitiva*.

Hinc *a*) Si negatur *obiectivitas cognitionis sensuum externorum*, nondum sequitur necessario *Idealismus transcendentalis* aut *absolutus*, sequi tamen videtur *Idealismus acosmisticus*. Nam negata obiectivitate sensationis externae nihilominus ut certa asseri potest obiectivitas cognitionis intellectivae, scil. conceptuum et principiorum, unde vitatur *Idealismus transcendentalis* et *absolutus*, immo probari potest ope principii causalitatis, ut vidimus supra, exsistentia alicuius *entis distincti* a *subiecto cognoscente*, quamvis propriam naturam huius entis extrasubiectivi percipi hac via non posse videatur, unde exsistentia ordinis physici seu *sensibilis, qua talis*, probari in hac suppositione nequit, hinc *Idealismus acosmisticus* sequitur, non tamen *Idealismus absolutus*. Unde quaestio de valore cognitionis intellectivae non dependet (saltem directe) a quaestione de valore cognitionis sensitivae et potest solvi independenter ab illa.

b) Si vero negatur realitas cognitionis intellectivae, scil. realitas conceptuum et principiorum, tunc necessario sequitur *Idealismus absolutus*. Nam etiamsi aliquo modo, *materialiter*, supponatur realitas cognitionis sensitivae, tamen *formaliter, qua talis*, realitas haec *certo* cognosci, in facta suppositione, nequit, nam ipse *conceptus realitatis, qua talis*, (utpote metaphysicus) valorem extrasubiectivum in dicta suppositione non habet, item nulla *certitudo* de realitate extrasubiectiva haberi potest, nam certitudo nonnisi

[1] Cfr. *In I Phys.*, l. 1; *S. Th.*, I, q. 85, a. 3; *In IX Metaphys.*, l. 7.

in cognitione intellectiva residet, cuius valor negatur. Unde negata realitate cognitionis intellectivae destruitur *certa* cognitio omnis realitatis extrasubiectivae, tum metaphysicae, tum physicae. Unicum quod remanet est actualis cognitio, cuius totum « esse est cognosci ». Unde quaestio de valore *cognitionis sensitivae* pendet *directe* a quaestione de valore *cognitionis intellectivae*, supponit illam necessario et non potest independenter ab illa solvi. Ideo ordo logicus rerum postulat ut prius statuatur *realitas cognitionis intellectivae*, deinde *realitas cognitionis sensitivae* [1].

Hinc patet, *quo ordine* procedendum sit contra Idealismum, seu « *quomodo cum Idealismo agendum* » [2]. Nempe, prius reiciendus est *Idealismus transcendentalis*, qui negat realitatem *ordinis metaphysici* et realitatem *cognitionis intellectivae*; deinde refutandus est *Idealismus acosmisticus*, qui negat realitatem *ordinis physici* et realitatem *cognitionis sensitivae* [3]. Ratio est, quia, ut modo diximus, non admissa realitate cognitionis sensitivae et ordinis physici, potest nihilominus admitti *ut certa* realitas cognitionis intellectivae et ordinis metaphysici, sed non admissa réalitate cognitionis intellectivae et ordinis metaphysici, nequit iam admitti, *ut certa*, realitas cognitionis sensitivae et ordinis physici.

[1] Ut patet, nulla est contradictio inter ea, quae hic dicuntur (scil. quaestionem de valore cognitionis sensitivae pendere a quaestione de valore cognitionis intellectivae, supponere illam, neque posse independenter ab illa solvi) et ea, quae dicta sunt supra: neutram quaestionem supponere alteram *per modum praemissae*. Nam obiectivitas cognitionis sensitivae cognoscitur *immediate*, scil. sine discursu, sine ratiocinio, sine termino medio syllogistico, tamen non cognoscitur *cum certitudine* nisi per cognitionem intellectivam, cuius obiectivitas simul etiam attingitur, saltem *exercite*, eodem actu, quo cognoscitur obiectivitas cognitionis sensitivae. Unde cognitio nostra de obiectivitate sensuum ex una quidem parte non supponit obiectivitatem cognitionis intellectivae, ut cognitam *per modum praemissae*, aut *termini medii syllogistici*, ex altera vero parte necessario supponit eam, ut cognitam saltem *in actu exercito*, et pendet ab ea directe, ita ut negata obiectivitate cognitionis intellectivae, iam nequeat sarta tecta subsistere obiectivitas cognitionis sensitivae.

[2] Cfr. *Congr. Thom.*, Romae, 1925. Schema praevium.

[3] Quando loquimur de statuenda obiectivitate cognitionis et de refutatione Idealismi, intelligimus hoc fieri per evidentiam immediatam aut per reductionem ad impossibile.

Sed ulterius quaeri potest: in ipsa refutatione *Idealismi transcendentalis* quis ordo tenendus sit, seu, quo ordine statuenda sit realitas ordinis metaphysici. Conceptus ordinis metaphysici pertinent aut ad *ordinem idealem*, aut ad ordinem *actualem*. Ad ordinem *idealem* pertinent conceptus *universales* et conceptus rerum *possibilium*, seu omnes conceptus qui abstrahunt ab actuali exsistentia [1]. Ad ordinem *actualem* pertinent conceptus rerum *exsistentium*. Ut patet, *realitas* analogice convenit ordini ideali et actuali, nimirum per prius et proprie competit ordini actuali, ordini vero ideali nonnisi secundario et per respectum ad ordinem actualem, quatenus possibilia et universalia (quoad id quod in iis concipitur) exsistunt aut exsistere possunt [2].

Si melius penetrare volumus quo pacto etiam ordini ideali realitas aliquo modo conveniat, haec prae oculis habere debemus: *possibilia* (et similiter *universalia* quoad *id quod* in iis cognoscitur) sunt *intentionaliter* et *obiective* in intellectu divino, *eminenter* in essentia divina, *virtualiter* in voluntate et potentia divina, *materialiter* possunt esse in rebus contingenter exsistentibus, item in intellectu humano *intentionaliter* et *obiective*, sed *secundario*, similiter in causis secundis *virtualiter*, sed *secundario*. Porro, extra haec omnia, scil. *extra Deum*, *extra intellectum creatum*, *extra causas secundas*, *extra res contingenter exsistentes*, in seipsis possibilia non exsistunt, nullam habent actualitatem, nullum esse reale, iuxta illa praeclara et profundissima verba Doctoris Angelici: « Ex

[1] Non loquimur de *entibus rationis*, quia agimus tantum de conceptibus realibus, entia vero rationis *formaliter* nullam habent realitatem. Dico: *formaliter*, nam *materialiter* et *fundamentaliter*, seu ratione eius ad cuius instar formantur, et ipsa habent aliquam realitatem. Unde etiam non loquimur de *universalibus reflexis*, quae sunt entia rationis, sed loquimur de *universalibus directis*.

[2] Essentiae universales et possibiles *quoad se* et in ordine ontologico non pendent a rebus contingenter exsistentibus, sed ab Ente Necessario, quatenus fundantur in intellectu et essentia Dei. Attamen *quoad nos* (qui divinam essentiam in hac vita non intuemur et cognitionem a sensibus accipimus) in ordine logico, seu cognitionis, universalia et possibilia dependent a rebus contingenter exsistentibus, a quibus cognitionem tum universalium tum possibilium accipimus. Aliis verbis: universalia et possibilia *in se* considerata non pendent a rebus contingentibus, sed *nostra cognitio* universalium et possibilium pendet a rebus contingentibus.

hoc ipso quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur. Quia *antequam esse habeat nihil* est, *nisi* forte *in intellectu creantis*, ubi non est creatura, sed creatrix essentia » (*De Pot.*, q. III, a. 5, ad 2). Item: « Causalitatis creantis se extendit ad omne id quod est in re, et ideo creatio *ex nihilo* dicitur esse, quia *nihil* est, quod creationi praeexsistat, quasi non creatum » (*S. Th.*, I, q. 45, a. 2).

Ex hoc tamen non sequitur possibilia *secundum se* spectata esse omnino nihil. Si enim considerantur non *positive* ut extra Deum, extra intellectum, extra causas, extra res exsistentes, sed *negative* seu *praecisive*, non excludendo positive, sed abstrahendo, praescindendo ab iis in quibus sunt, tunc possibilia (et universalia), non sunt omnino nihil, sed sunt quoad *id, quod* concipitur, aliquid *cognoscibile, intelligibile, producibile, effectibile, realizabile, actuabile*, sunt *ens non in actu* sed *in potentia*.

Unde ordo idealis habet aliquam realitatem, non quidem *perfectam* et *actualem*, sed *imperfectam* et *potentialem*, per respectum ad ordinem actualem.

Hinc quaeri potest utrum statim, cum primum cognoscamus aliquod obiectum ideale (v. gr. quidditatem rei sensibilis), cognoscamus illud ut aliquid reale, seu utrum ex sola consideratione ordinis idealis possimus cognoscere realitatem conceptuum nostrorum, scil. obiectum eorum esse aliquid distinctum et independens a cognitione, an vero ad hoc requiratur conversio ad ordinem actualem, exsistentem, comparatio cum illo? Respondendum videtur: cum primum cognoscatur quidditas, abstracta a singularibus, statim cognoscitur *ut ens,* non ens *in actu,* sed ens *in potentia,* ut *aliquid quod exsistere potest, quod capax est esse, quod aptum est esse,* ut « *res cui competit esse* » [1]. Itaque ipse ordo idealis prae-

[1] Haec est universalissima notio *entis,* quae primo cadit in intellectu nostro, quae dividitur in decem praedicamenta (principium categoriarum), quaeque, etsi simplicissima sit quoad nos, tamen quoad se quodammodo *composita* est, quatenus significat non per modum abstracti solam essentiam, sed *per modum concreti essentiam* et *esse.* Talis videtur esse doctrina D. Thomae de primo cognito intellectus nostri. Sic enim ait S. Doctor: « Quia vero ex *compositis* cognitionem *simplicium* accipere debemus, et ex *posterioribus* devenire in priora... ideo ex significatione *entis* ad significationem *essen-*

sentat se nobis ut aliquid distinctum et independens a cognitione nostra, non quidem actu, sed potentia. Unde ex ipsa consideratione ordinis idealis possumus iam aliquo modo statuere contra transcen-

tiae procedendum est » (*De Ente et Essentia,* Prooem.). Ubi notat Caietanus « Ex posterioribus... intelligitur ex posterioribus secundum naturam, prioribus quoad nos: innata enim est nobis via ex notioribus nobis in notiora naturae, ut dicitur I Phys. » (*De Ente et Essentia,* q. I).

Quod primum cognitum sit ens, ut concretum, et non ipsa essentia, ut abstractum abstractione formali, sic ostendi potest: « *conceptus imperfectissimus omnium est primus via originis* », iamvero conceptus cognitus abstractione formali non est imperfectissimus omnium, nam « per *abstractionem formalem* oritur in eo quod abstrahitur actualitas, distinctio et intelligibilitas », « in abstractione formali quanto aliquid est abstractius tanto *notius naturae* ». Unde haec abstractio fit per cognitionem *distinctam actualem,* quae non est prima et imperfectissima cognitio, nam praecedit eam cognitio *confusa actualis* (cfr. Caietanus, *loc. cit.*). Hinc primum cognitum non est abstractum *abstractione formali,* sed est *ens per modum concreti.* Quam doctrinam exprimit Caietanus dicens: « *Ens concretum quidditati sensibili est primum cognitum cognitione confusa actuali* » (*ibid.*). Hoc est *ens non ut participium,* sed *nominaliter* sumptum, quod significat per modum compositi essentiam et esse, et quidem primario et principaliter *essentiam* seu quidditatem, tamquam subiectum denominatum, secundario vero et connotative *esse* tamquam formam denominantem.

Unde intelligitur cur S. Thomas quandoque dicat obiectum proprium intellectus nostri et primum cognitum esse *quidditatem rei sensibilis,* quandoque vero dicat illud esse *ens.* Sic ex una parte: « proprium obiectum intellectus est *quidditas* rei... in rebus sensibilibus exsistens » (*In III De Anima,* l. 8). « Intellectus humani... proprium obiectum est *quidditas* sive *natura* in materia corporali exsistens » (*S. Theol.*, I, q. 84, a. 7). « Proprium obiectum intellectui nostro proportionatum est *natura* rei sensibilis » (*S. Theol.*, I, q. 84, a. 8). Cfr. *S. Theol.*, I, q. 85, a. 1, 3, 6, 8; q. 86, a. 1 et 2; q. 87, a. 2, ad 2; a. 3; q. 88, a. 1 et 3, etc.). Ex altera parte: « *ens* est proprium obiectum intellectus et sic est primum intelligibile » (*S. Theol.*, I, q. 5, a. 2). « *Ens* est prima conceptio intellectus » (*In I Post. Anal.*, l. 5). « In prima quidem operatione est aliquod primum, quod cadit in conceptione intellectus, scil. hoc quod dico *ens,* nec aliquid hac operatione potest mente concipi nisi intelligatur *ens* » (*In IV Metaph.*, l. 6). « Primo igitur intelligitur ipsum *ens* » (*In IV Metaph.*, l. 3). « Primum enim quod in intellectum cadit est *ens* » (*De Pot.*, q. IX, a. 7, ad 15). Cfr. *S. Theol.*, I, q. 11, a. 2, ad 4; q. 55, a. 1; q. 79, a. 7; q. 82, a. 4, ad 1; q. 87, a. 3, ad 1; q. 105, a. 4; I-II, q. 9, a. 1; q. 10, a. 1, ad 3; q. 55, a. 4, ad 1; q. 94, a. 2 etc.

Utraque series testimoniorum optime cum altera conciliatur per hoc quod primum cognitum intellectus nostri est *ens concretum quidditati sensibili,* ens

dentalem Idealismum *realitatem conceptuum ordinis metaphysici*, non quidem realitatem *perfectam* et *actualem*, sed realitatem *imperfectam* et *potentialem* [1].

Postquam consideravimus intelligibilia ordinis idealis, consideranda sunt *intelligibilia ordinis actualis* seu statuenda est *realitas cognitionis intellectivae* quoad res *actuales*. Obiectum immediatum huius ordinis est *exsistentia subiecti intelligentis* eiusque *actuum* [2]. Realitas et actualitas huius obiecti non aliter statuitur quam per evidentiam immediatam (sicut supra fecimus agendo contra Realismum criticum totalem). Hac realitate stabilita realitas ordinis metaphysici actualis vindicata manet. Sic reicitur *Idealismus transcendentalis* in tota sua extensione, stabiliturque realitas *cognitionis intellectivae* atque *realitas ordinis metaphysici* tum *idealis* tum *actualis*. Post haec tandem refutandus est *Idealismus acosmisticus*, et vindicanda *realitas cognitionis sensitivae* ac *realitas*

non participialiter sed *nominaliter* sumptum, *quod significat essentiam* et *connotat esse*, estque praedicatum *essentiale* uniuscuiusque rei et *dividitur per decem praedicamenta*. Quae omnia explicite asserit S. Thomas; ait enim: « *Ens quod dividitur per decem praedicamenta significat ipsas naturas* decem generum *secundum quod sunt actu vel potentia* » (*In X Metaph.*, l. 1). Item: « Hoc nomen *ens* secundum quod importat *rem cui competit* huiusmodi *esse*, sic *significat essentiam rei* et *dividitur per decem genera* » (Qdl. II, a. 3). Amplius: « *Quaelibet natura essentialiter* est *ens* » (*De Ver.*, q. I, a. 1). « *Ens* quod est primum per communitatem cum sit *idem per essentiam rei cuilibet*, nullius proportionem excedit et ideo *in cognitione cuiuslibet rei ipsum cognoscitur* » (*De Ver.*, q. X, a. 11, ad 10). Tandem: « Hoc nomen *Ens* quod *imponitur ab esse*, *significat idem* cum nomine quod imponitur ab ipsa *essentia* » (*In IV Metaph.*, l. 2).

[1] Quod hic diximus nullo modo praeiudicat quaestionem utrum datur transitus ex ordine ideali ad actualem, seu utrum ex solo ordine possibilium possit efficaciter demonstrari exsistentia Entis Necessarii. Asserimus tantum obiectum possibile, aut abstractum sicut esse aliquid actuabile seu actuale in potentia, ita etiam esse in potentia aliquid distinctum et independens a cognitione, ideoque reale, quamvis imperfecte.

[2] Obiectum hoc, ut patet, pertinet ad *experientiam internam*. Experientia interna, seu conscientia (sensu critico), complectitur omnia *facta praesentia interna*, unde ad experientiam internam pertinent non solum obiecta actualia intelligibilia (ut sunt actus partis intellectivae), sed etiam obiecta actualia sensibilia (ut sunt actus partis sensitivae), pertinet tum *ordo actualis metaphysicus*, tum *ordo actualis physicus* internus.

ordinis physici (ut supra fecimus refutando Realismum criticum partialem).

Procedendo contra Idealismum hoc ordine et modo, quo explicavimus, non aliud facere videmur, quam imitari naturalem ordinem cognitionis nostrae iuxta illud Aristotelis et S. Thomae: « Ars imitatur naturam » [1]. Nam etsi *simpliciter prius* cognoscatur a nobis ordo *actualis* quam *idealis*, tamen *cognitione intellectuali prius* cognoscimus ordinem *idealem* quam *actualem.* Etenim secundum constantem et minime ambiguam Philosophi et Angelici Magistri doctrinam, licet simpliciter loquendo singulare sit prius in cognitione nostra, quam universale, quatenus « sensus cognitio quae est singularium praecedit cognitionem intellectus quae est universalium » (*In I Phys.*, l. 1), tamen secundum cognitionem *intellectualem prius* cognoscitur a nobis universale quam singulare, hinc prius ordo *idealis* quam ordo *actualis* [2]. (Cfr. *S. Theol.*, I, q. 85, a. 3; *In I Phys.*, l. 1; *In I Post. Anal.*, l. 4). Et quia certitudo nonnisi cognitioni intellectuali inest, inde fit, ut *certitudo* cognitionis nostrae per prius inveniatur in ordine *ideali* quam in ordine *actuali.* Item, licet *simpliciter* cognoscimus prius ordinem *actualem physicum* quam ordinem *actualem metaphysicum*, tamen secundum *cognitionem intellectivam* prius cognoscimus ordinem *actualem metaphysicum* quam ordinem *actualem physicum.* Hinc *certitudo* nostra per prius invenitur in ordine *actuali metaphysico* quam in ordine *actuali physico*, per prius in *experientia interna* (circa exsistentiam intellectus) quam in *experientia externa* (circa exsistentiam corporum).

Unde hic videtur esse naturalis ordo *certitudinis* nostrae (quem secuti sumus in refutatione Idealismi): *Primo: certitudo primorum*

[1] *In I Poster. Anal.*, l. 1; *In II Phys.*, l. 13; *S. Theol.*, I, q. 117, a. 1; *De Ver.*, q. XI, a. 1 etc.

[2] Et hoc conformiter ad ipsam naturam animae intellectivae, quae est immaterialis sed forma corporis. Quatenus anima est immaterialis, primum obiectum intellectus debet esse ens immateriale. Quatenus anima est actus corporis, obiectum intellectus debet esse ens immateriale in materia exsistens, seu quidditas abstracta rei materialis, ens metaphysicum negative seu praecisive. Sicut intellectus humanus est ex se ens intelligens in potentia et non in actu, ita primum obiectum eius debet esse ex se ens intelligibile in potentia et non in actu.

principiorum. Secundo: certitudo de exsistentia proprii intellectus. Tertio: certitudo de exsistentia mundi corporalis [1].

Et revera secundum S. Thomam exsistentia propria videtur prius cognosci ab *intellectu* quam exsistentia mundi corporalis, quamvis *simpliciter* prius cognoscatur a nobis exsistentia mundi corporalis quam exsistentia proprii intellectus. Quomodo enim cognoscitur intellectu exsistentia propria? Aliquo modo percipitur iam in ipsa directa cognitione ordinis idealis. Nam in omni iudicio certo *implicite* et *in actu exercito* cognoscitur veritas seu conformitas intellectus componentis et dividentis cum re, hinc cognoscitur exsistentia proprii actus et intellectus (immo aliquo modo ipsa eius natura, scil. ut est cognoscitivus) [2]. Unde loquendo de proprii actus cognitione *in actu exercito*, S. Thomas dicit: « Non oportet ut id, *quo* cognoscitur, alia cognitione cognoscatur quam id, *quod* cognoscitur » (*De Verit.*, q. X, a. 8, ad 9); et: « Eadem operatione intelligo intelligibile et intelligo me intelligere » (1, Dist. 1, q. 2, a. 1, ad 2); et: « Non alio actu potentia fertur in obiectum et in actum suum, eodem enim actu intellectus intelligit se et intelligit se intelligere » (1, Dist. 10, q. 1, a. 5, ad 2). Cfr. 3, Dist. 14, q. 1, a. 1, sol. 4. Attamen si agitur de proprii actus cognitione *explicita* et *in actu signato*, haec nonnisi per *reflexionem* habetur, unde de hac cognitione loquens S. Doctor ait: « Alius est actus quo intellectus intelligit lapidem et alius est quo intelligit se intelligere lapidem » (*S. Theol.*, I, q. 87, a. 3, ad 2). Cfr. *S. Theol.*, I, q. 28, a. 4, ad 2; I, q. 76, a. 2, ad 4; *Contra Gent.*, III, c. 26. Sed co-

[1] Hic ordo fortasse insolitus alicui videbitur, propterea quod assueti sumus considerare ordinem cognitionis nostrae per respectum ad cognitionem sensitivam, qua inclusa ordo invertitur, scil. primo cognoscitur mundus corporalis, deinde exsistentia propria, tandem ordo idealis. Attamen, si consideratur praecise sola cognitio *intellectiva*, ordo supra indicatus omnino sequi videtur ex principiis Doctoris Angelici. Prius enim directe cognoscit intellectus noster abstractum et universale (*S. Th.*, I, q. 85, a. 3), deinde exsistentiam propriam, per reflexionem in actus proprios (*S. Th.*, I, q. 87, a. 1), tandem, exsistentiam corporum seu res materiales singulares exsistentes, per quandam reflexionem in actus sensitivos (*S. Th.*, q. 86, a. 1), ut fusius in textu explicatur.

[2] Cfr. S. THOMAS, *De Verit.*, q. 1, a. 9 et R. P. BOYER, *Le sens d'un texte de S. Thomas.* « Gregorianum », 1924, pag. 424-443.

gnoscendo proprium actum cognoscimus exsistentiam propriam. Unde certitudo de exsistentia propria immediate sequitur certitudinem ordinis idealis.

Et quomodo intellectus noster cognoscit exsistentiam mundi corporalis, seu sensibilia singularia exsistentia? Explicat Aquinas: « Singulare in rebus materialibus intellectus noster *directe* et *primo* cognoscere non potest. Cuius ratio est, quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis: intellectus autem noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmodi materia, quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale, unde intellectus noster *directe* non est cognoscitivus nisi universalium. *Indirecte* autem, et *quasi per quandam reflexionem potest cognoscere singulare,* quia... etiam postquam species intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere nisi convertendo se ad phantasmata, *in quibus species intelligibiles intelligit,* ut dicitur in *III de Anima*; sic igitur ipsum universale per speciem intelligibilem directe intelligit, *indirecte autem singularia, quorum sunt phantasmata*; et hoc modo format hanc propositionem: Socrates est homo » (*S. Theol.*, I, q. 86, a. 1). Item: « Cognoscit enim (intellectus) *naturam speciei,* sive *quod quid est directe* extendendo seipsum, ipsum autem *singulare* per *quandam reflexionem,* inquantum redit super phantasmata, a quibus species intelligibiles abstrahuntur » (*In III de Anima,* l. 8).

Unde intellectus cognoscit sensibilia singularia per *quandam reflexionem* quatenus, reflectendo in proprios actus, intelligit conceptus suos seu species intelligibiles in phantasmatibus, a quibus procedunt et aliquo modo dependent in sua origine [1]. Ulterius a phantasmatibus procedit intellectus ad sensationes externas, a quibus originantur phantasmata, et tandem ad sensibilia singularia exsistentia, a quibus sensationes causantur.

Ex hoc processu apparet intellectum nostrum prius cognoscere *propriam exsistentiam,* quam *exsistentiam mundi externi.* Hinc prior

[1] Species intelligibiles non dependent a phantasmatibus intrinsece et in essendo, sed extrinsece et in fieri, tanquam a causa instrumentali, aut a « materia causae », ut ait S. Thomas: « Non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est *materia causae* » (*S. Theol.*, I, q. 84, a. 6).

est *certitudo* de *exsistentia propria* quam *certitudo* de *exsistentia mundi externi*, quamvis absolute prior est in nobis *cognitio mundi externi* quam *cognitio exsistentiae propriae*, ut supra vidimus ex S. Thoma. Et quia id « quod est primum in quolibet genere est causa eorum quae sunt post » (*In VII Phys.*, l. 1), ideo intelligitur cur exsistentia propria proponatur ab auctoribus tamquam id quod est certissimum in ordine rerum *exsistentium*. Sic S. Augustinus: « Quid si falleris? Si fallor sum, nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor; quomodo esse me fallor, quando certum est me esse, si fallor? Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer, procul dubio in eo quo novi me esse, non fallor » (*De Civ. Dei*, l. XI, c. 26). Et re vera, certitudo de exsistentia propria est quasi causa et ratio certitudinis de exsistentia omnium aliarum rerum, nam intantum habemus certitudinem immediatam de exsistentia rerum externarum inquantum agunt in nostros sensus externos, inquantum aliquo modo afficiunt nostram exsistentiam.

Itaque cognitio nostra *immediata* circulum quemdam perficit. *Prima* enim cognitio nostra est cognitio *ordinis physici actualis* per sensus externos. *Secunda* est cognitio sensuum internorum qui *ordinem physicum* etiam *non exsistentem* apprehendere possunt (phantasia et memoria). *Tertio* sequitur cognitio intellectiva *ordinis metaphysici idealis*. *Quarto* venit cognitio intellectiva (reflexa) *ordinis metaphysici actualis*. *Quintum* tandem locum obtinet cognitio intellectiva (quasi reflexa) *ordinis physici actualis*. Sic cognitio nostra immediata intellectiva terminatur ibi, ubi incipit sensitiva.

Ita verificatur etiam hic quod Stagirita cum Aquinate non semel notarunt: esse « circulum quemdam in actibus animae » [1], « ut sit ibi finis motus, ubi fuit principium » [2], « unumquodque enim perfectum est ex hoc quod attingit suum principium » [3].

A. Rozwadowski S. I.

[1] *De Ver.*, q. I, a. 2.
[2] *S. Theol.*, Ia IIae, q. 26, a. 2.
[3] *In VIII Phys.*, l. 19.

NOTAE ET DISCEPTATIONES

Two Early Ordination Prayers.

AN ANSWER TO DR. BRIGHTMAN AND CANON LACEY.

SUMMARIUM. — DUAE ANTIQUIORES ORATIONES PRO ORDINATIONIBUS (*Responsum Doctori Brightman et Canonico Lacey.* — In nota sequenti obiectioni respondetur quae a Reverendo Domino Brightman et Canonico Lacey Anglicanis urgetur contra doctrinam Leonis XIII PP. in Bulla « Apostolicae Curae » contentam, in qua ordinationes anglicanae nullae et irritae declarabantur. Summus Pontifex dicebat: « Iamvero verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteratus, videlicet, '*Accipite Spiritum Sanctum*', minime sane significant definite ordinem Sacerdotii *vel* eius gratiam et potestatem, quae praecipue est potestas 'consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini' », cui assertioni, ait R. D. Brightman, aperta contradictio invenitur in oratione pro presbyteratu in documento Serapionis, civitatis Thmuis in Ægypto inferiore saeculo IV episcopi. Infra legi potest haec oratio. Notandum est, Brightman arguere quasi Summus Pontifex dixisset « *minime significant ordinem sacerdotii* et *eius gratiam et potestatem* » et non *vel.* In primis notandum est haberi in orationibus pro diaconis et episcopis mentionem officii. Quare a quibusdam supponitur nomen officii infeliciter casu excidisse. Praeterea mentio fit virorum electorum a Moyse qui 70 viri in libris liturgicis passim comparantur cum Sacerdotibus secundi ordinis sicut Levitae cum diaconis. Talis mystica comparatio habetur in Romano Pontificali in ordinatione sacerdotali. Ergo definite significatur gradus vel officium. Exemplum simile invenitur in forma sacerdotali apud Abyssinios.

Quin etiam orationes consecratoriae ipsae solae praeservatae sunt; periit omne id quod hasce orationes praecedebat aut sequebatur. Fortasse circumiacens materia removeret omne dubium.

Canonicus Lacey eodem modo argumentatus est. Asserit in *Canonibus Hippolyti* gradum vel nomen diaconi omitti in oratione vel forma pro diaconatu. Quod non est verum, quia in omnibus liturgiis orientalibus ordo diaconalis formaliter exprimitur per relationem ad protomartyrem Stephanum, primum diaconum ab Apostolis ordinatum. Verba crucialia in oratione sunt: « O Deus Pater... rogamus te enixe ut effundas Spiritum tuum Sanctum super servum tuum N *eumque praepares cum illis, qui tibi serviunt secundum tuum beneplacitum sicut Stephanus...* Accipe *servitium* eius, etc. ».

Etiam in Sanct. Apost. Constit., l. 8, c. 3 est similis oratio consecratoria pro diacono. Cfr. inferius documentum latine traditum.

Ergo veritas et auctoritas assertionis Bullae ab hisce Anglicanis oppugnatae vindicantur.

I.

In the New Series of *Texte und Untersuchungen* (New Series, vol. II, part 3 b) Dr G. Wobbermin has given us the text of a collection of liturgical prayers found in MS of the eleventh century belonging to the library of the Laura on Mount Athos.

This collection by means of a photograph taken by Professor Kirsopp Lake was published in vol. I of the Journal of Theological Studies 1899-1900, pag. 99 and pag. 263.

It is said that the prayers are of a date not later than 350. They are Egyptian and as such fill a gap, and so the collection is of the greatest importance as most of our information at this early date on these subjects, is Syrian, e. g. the Catecheses of St. Cyril, the Apostolic Constitutions and the Pilgrimage of St. Etheria.

Serapion was a distinguished scholar and still more distinguished as a defender of the Nicene Creed. He was made bishop of Thmuis in Lower Egypt somewhere about 340 and was present at the Council of Sardica. He is believed to have died about 362.

We are only concerned in this note with the ordination prayers for the diaconate, presbyterate and episcopate, chiefly on account of the use that has been made by Anglicans of the prayer for the Priesthood.

The Rev. F. E. Brightman says (J. Th. St., l. c., pag. 259): « It is interesting at the moment (January 1900) to note the contrast between Serapion's forms of ordination and the Bull « Apostolicae Curae » of Leo XIII. The Pontiff's condemnation applies with more justice to Serapion than to the Anglican Ordinal. In the form of presbyteral ordination there is ' nulla aperta mentio ', — in fact no mention what soever ' sacrificii, consecrationis, sacerdotii potestatisque consecrandi et sacrificii offerendi ', and consequently ' id reticet quod deberet proprium significare '; and in the form of episcopal consecration there is nothing of the ' Summum Sacerdotium ' a phrase which at first appears in a liturgical formula in the ἀρχιερατεύειν of the Διατάξεις διὰ Ἱππολύτου, or of any sacramental act ».

Rev. Mr Douglas who is working so hard to unite the Anglicans with the orthodox church, in a brochure just lately published in England, says that by a special intervention of God to confute the teaching of the Bull on Anglican Orders this document of Serapion was discovered.

These are the Prayers.

ORDINATIONS (of Deacons).

Χειροθεσία καταστάσεως Διακόνων (12)

Πάτερ τοῦ μονογενοῦς ὁ τὸν Υἱόν σου ἀποστείλας καὶ διατάξας τὰ ἐπὶ τῆς γῆς πράγματα καὶ κανόνας τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ τάξεις δεδωκὼς εἰς ὠφέλειαν καὶ σωτηρίαν τῶν ποιμνίων, ὁ ἐλεξάμενος ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους εἰς λειτουργίαν τῆς καθολικῆς σου ἐκκλησίας, ὁ ἐκλεξάμενος διὰ τοῦ μονογενοῦς σου τοὺς ζ' διακόνους καὶ χαρισάμενος αὐτοῖς Πνεῦμα ἅγιον· κατάστησον καὶ τόνδε διάκονον τῆς καθολικῆς σου ἐκκλησίας καὶ δὸς ἐν αὐτῷ πνεῦμα γνώσεως καὶ διακρίσεως, ἵνα δυνηθῇ μεταξὺ τοῦ λαοῦ τοῦ ἁγίου καθαρῶς καὶ ἀμέμπτως διακονῆσαι ἐν τῇ λειτουργίᾳ ταυτῇ διὰ τοῦ μονογενοῦς σου Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ σοι ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος ἐν ἁγίῳ πνεύματι καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς συμπάντας αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

(of Presbyters)

Χειροθεσία καταστάσεως Πρεσβυτέρων (13)

Τὴν χεῖρα ἐκτείνομεν, δέσποτα θεὲ τῶν οὐράνων Πάτερ τοῦ μονογενοῦς σου ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον τοῦτον καὶ δεόμεθα ἵνα τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας ἐπιδημήσῃ αὐτῷ, φρόνησιν αὐτῷ χάρισαι καὶ γνῶσιν καὶ καρδίαν ἀγαθήν· γενέσθω ἐν αὐτῷ πνεῦμα θεῖον πρὸς τὸ δυνάσθαι αὐτὸν οἰκονομῆσαι τὸν λαόν σου καὶ πρεσβεύειν τὰ θεῖα σου λόγια καὶ καταλλάξαι τὸν λαόν σου σοὶ τῷ ἀγενήτῳ Θεῷ. ὁ χαρισάμενος ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ Μωσέως ἐπὶ τοὺς ἐκλελεγμένους πνεῦμα ἅγιον, μέρισον καὶ τῷδε πνεῦμα ἅγιον ἐκ τοῦ πνεύματος τοῦ μονογενοῦς εἰς χάριν σοφίας καὶ γνώσεως καὶ πίστεως ὀρθῆς, ἵνα δυνηθῇ σοι ὑπερετῆσαι ἐν καθαρᾷ συνειδήσει· διὰ τοῦ κ. τ. λ. Ἀμήν.

(of a Bishop)

Χειροθεσία καταστάσεως Ἐπισκόπου (14)

Ὁ τὸν Κύριον Ἰησοῦν ἀποστείλας εἰς κέρδος ὅλης τῆς οἰκουμένης, ὁ δι' αὐτοῦ τοὺς ἀποστόλους ἐκλεξάμενος, ὁ κατὰ γενεὰν καὶ γενεὰν ἐπισκόπους ἁγίους χειροτονῶν· ποίησον ὁ Θεὸς τῆς ἀληθείας καὶ τόνδε ἐπίσκοπον ζῶντα, ἐπίσκοπον ἅγιον τῆς διαδοχῆς τῶν ἁγίων ἀποστό-

λων, καὶ δὸς αὐτῷ χάριν καὶ πνεῦμα θεῖον, ὃ ἐχαρίσω πᾶσιν τοῖς γνησίοις σου δούλοις καὶ προφήταις καὶ πατριάρχαις· ποίησον αὐτὸν ἀξιὸν εἶναι ποιμαίνειν σου τὴν ποίμνην ἔτι τε ἀμέμπτως καὶ ἀπροσκόπως ἐν τῇ ἐπισκοπῇ διατελείτω· διὰ τοῦ μονογενοῦς σου κ. τ. λ.

The Pope's words which Dr Brightman takes exception to, are: « Iamvero verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab Anglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet, *Accipite Spiritum Sanctum*, minime sane significant definite ordinem sacerdotii *vel* eius gratiam et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini*, eo sacrificio quod non est *nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti* ».

In the last place we have no proof that these prayers were ever used publicly. Bishops made collections of this kind which may be called private prayers. But granting that these prayers were used in Lower Egypt for the ordering of deacons and priests and the consecration of Bishops, does it follow that the Bull « Apostolicae Curae » is in opposition to Serapion's forms of ordination? Mr Brightman fails to notice that the Pope did not say that the form must contain the mention of the office *and* its power, in the case of the Priesthood to consecrate and offer the Body and Blood of Our Lord. Therefore nothing is gained by sayng that in the prayer for the Priesthood there is no mention 'sacrificii', 'consecrationis' etc.

In this prayer for the Priesthood we have the words πρεσβεύειν τὰ θεῖά σου λόγια. The word πρεσβεύειν is closely connected with πρεσβύτερος. Again there is mention of these chosen out and to be given the Holy Spirit from the Spirit of Moses. This is an evident allusion to the Elders appointed by Moses. These Elders were regularly compared with priests just as the Levites are with the deacons. We have exactly the same use of these Elders to denote the priests of the second order in the Roman Pontifical to-day. In the prefatory exhortation to those to be ordained priests the Bishop says: « Unde Dominus praecipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, suggessit: Quos tu nosti, quod senes populi sunt. *Vos* (i. e. those to be ordained priests) siquidem in septuaginta viris et senibus *signati estis*; etc. ». In the prayer after the manner of a preface which follows the laying on of hands we have these words: « Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti; quibus

ille adiutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit ». If, as is clear, that those seventy Elders signified the priests of the second order, it follows that there is mention of the order in this prayer of Serapion for the presbyterate. Surely this mystical comparison is sufficiently definite to make the form valid and to fulfil the condition laid down by Leo XIII. Besides as the forms for the diaconate and the episcopate contain the name of the office, it may to be that the name of priest or priesthood has dropped out of the prayer in question.

The Abyssinian forms are similar. There is mention of the office in the form for the diaconate and the episcopate, and mention of the leaders elected by Moyses in the form for the priesthood. Anyway these forms were not composed as the Anglican Ordinal with the intention of excluding a sacrificing priesthood. Moreover we have only these prayers. We have not the setting and know not what immediately preceded them or succeeded them, which might have made their signification all the more clear.

The remarks of Mr Brightman on the ' Summum Sacerdotium ' are peculiarly inept; for episcopate is synonymous with ' Summum Sacerdotium ', just as ' Summus Sacerdos ' with ' Episcopus '.

II.

Canon Lacey who is followed by the Rev. J. W. Puller also denies that there is any need of mention of the order or its power in the form by which the order is conveyed. For proof they refer us to the Canons of Hippolytus.

Canon Lacey writes: « Extant enim in Canonibus Hippolyti orationes pro ordinibus conferendis in Ecclesia Romana, ut videtur, saeculo secundo vel tertio usurpatae, quarum ea quae pro diacono assignatur nullam prorsus gradus mentionem habet »[1].

This point is easily settled by having recourse to the document itself. We can prescind from the question as to whether these Canons are really the Canons of Hippolytus or belong to the second or third century. Here is the prayer on which Canon Lacey relies for his assertion:

[1] *Dissertationis Apologeticae de Hierarchia Anglicana Supplementum.* Roma, 1896, pag. 20. This is copied by Puller, « The Guardian », 30 th Sept. 1896, pag. 1473-1474.

N. 5. Si ordinatur *Diaconus*, observentur canones singulares et dicatur haec oratio super eum, neque tamen ad presbyteratum pertinet, sed ad Diaconatum, sicut decet famulum Dei. Serviat autem Episcopo et presbyteris in omnibus rebus... Talis revera est Diaconus ille de quo Christus dixit: si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Episcopus autem manum imponat *ei* et hanc orationem dicat super *eum* loquens: O Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, rogamus te enixe ut effundas spiritum sanctum super servum tuum N. eumque praepares cum illis, qui tibi serviunt secundum tuum beneplacitum sicut *Stephanus*... Accipe *servitium* eius per Dominum nostrum Iesum Christum ».

Now as in all the Oriental Liturgies, the order of deacon is formally expressed by its relation to the protomartyr Stephen, one of the first seven deacons ordained by the apostles, it is evident how false is the statement made by Canon Lacey and copied by Puller that « in the Canons of Hippolytus the prayer assigued for the deacon makes no mention whatever of the grade or order ».

Besides according to Achelis, the editor of the Canons [1] of Hippolytus, the eight book of the Constitutions of the Apostles depends on these same Canons of Hippolytus and is in some part a copy of them. This is the consecrating prayer for the deacon: Deus omnipotens, ostende faciem tuam super servum tuum hunc, electum tibi in misterium (διακονίαν) et imple eum Spiritu Sancto et virtute, *sicut Stephanum* protomartyrem implevisti [2].

Surely the Canons of Hippolytus so far from contradicting the doctrine of Pope Leo XIII in the Bull on Anglican Orders, absolutely confirm his statement that the form should mention the order *or* the powers of the order conveyed.

J. B. Jaggar S. I.

[1] *Die Canones Hippolyti*, pag. 27.
[2] *Sanct. Apost. Constit.*, l. 8, c. 3.

Le Problème du Mal, d'après un livre récent [1].

Tout ce qui est œuvre de Dieu peut servir de point de départ dans la recherche de Dieu. Mais il est dans le monde que nous habitons quelque chose qui se refuse complètement à guider vers Dieu l'intelligence qui ne le connaît pas encore; c'est ce que Dieu n'a pas fait: le péché. Le problème du mal, du mal moral, sera toujours une pierre d'achoppement pour celui qui est assez mal avisé ou assez présomptueux pour vouloir aborder de cet angle la question de Dieu. Autant escalader un roc qui surplombe l'abime. Mais portez-vous à son sommet par les chemins en pente qui partent du rivage; et vous aurez la satisfaction d'embrasser du regard non seulement les horizons de terre et de montagne, mais aussi ceux du vide immense qui s'étend sur la mer sans limites. Supposant donc établie, comme on le doit, l'existence d'un Dieu très bon, très grand, la sagesse chrétienne s'étudie à comprendre la place du mal dans l'économie universelle du monde; et dans cette étude elle a toujours pris pour maître saint Augustin, dont la pensée depuis quinze siècles règne sur toute la théologie, mais spécialement sur ce problème angoissant de la distribution des biens et de la permission du mal, qui forme le champ de la providence divine. Une présentation de la pensée de saint Augustin, présentation méthodique et synthétique, c'est cela que nous apporte le livre de M. Gérard Philips, *La Raison d'être du Mal d'après saint Augustin*: entendez, la raison des permissions de Dieu par rapport au mal.

Tant qu'on n'en arrive pas au mal de l'impénitence finale, au mal éternel, le problème ne présente pas (au moins théoriquement) de très grandes difficultés. Le mal des uns provoque la vertu des autres; par exemple, les persécutions font les martyrs. Dans le pécheur lui-même, le mal tourne à bien, en servant de matière à la pénitence. Les lumières qu'il donne sur nous-mêmes et sur Dieu, l'humilité qu'il inspire, la reconnaissance qu'il stimule, l'expérience qu'il laisse, sont des bienfaits pour le fidèle converti. Même chez l'infidèle, le mal sert

[1] GÉRARD PHILIPS, Maître en Théologie, *La Raison d'être du Mal d'après saint Augustin.* Dissertation présentée pour le grade de Maître Agrégé en Théologie de l'Université Grégorienne. Louvain, « Museum Lessianum », 1927, in-8°, 241 pag. Fr. 20.

d'introducteur à la foi, en faisant prendre conscience de l'impuissance où est la nature humaine de s'en libérer tant qu'elle ne se tourne pas vers Jésus-Christ, qui avec la justification apporte la force victorieuse: c'est le thème du chapitre VII et du chapitre VIII de l'Epître aux Romains. Mais au terme, si le mal persévère, et se rend irrémédiable, quelle explication y trouver? Dire que l'homme est libre, et que Dieu respecte sa liberté, ce n'est pas une solution, du moins adéquate: car Dieu peut respecter la liberté, même en lui donnant des grâces efficaces, qui, bien loin de l'asservir, la libèrent. Or ce que Dieu peut faire, comment sa bonté ne le force-t-elle pas à le faire? On nous répond, et c'est en ces termes que d'ordinaire s'énonce la solution classique, que le mal avec sa peine éternelle illustre la justice de Dieu, comme le bien avec sa récompense proclame la bonté divine. Froide consolation. On a l'air de nous représenter Dieu comme préoccupé d'assurer à ses perfections l'occasion de paraître, même aux dépens d'autrui. Dans un certain catéchisme qui n'a pas vu le jour, on demandait, paraît-il, pourquoi Dieu permettait le péché. La réponse était: pour pouvoir le punir. Certes, il est bien vrai que l'exercice de la justice vindicative honore le justicier, mais c'est à condition que celui-ci ait eu par ailleurs de bonnes raisons de ne pas empêcher ce qu'il pouvait empêcher: autrement il est lui-même en faute. Lors donc qu'il s'agit d'expliquer le pourquoi de la permission, à ne répondre que par l'évocation de la peine qui rétablit l'ordre, on risque de jeter l'odieux sur les conduites de Dieu; on brouille la logique à tout le moins; enfin on paraît oublier que le propre du Bien, comme l'avait déjà dit Platon avant saint Augustin, est de se répandre, et que la gloire du Souverain Bien est en dernière analyse de départir des biens et non d'infliger des maux, si mérités qu'ils puissent être. Autrement dit, l'amour doit être en tout état de cause le dernier mot de la politique divine.

C'est ce que saint Augustin a parfaitement compris; non qu'il ait omis de faire au rétablissement de l'ordre par les sanctions éternelles la place qui lui revient de droit parmi ces biens compensateurs sans lesquels la divine Sagesse ne verrait pas jour à laisser se produire le désordre. Mais il ne s'est pas arrêté là; le jeu des lumières et des ombres dans le grand tableau du monde ne lui a pas suffi; il a fallu que ce point de vue pour ainsi dire esthétique se laissât dominer par un autre, d'où toute beauté apparaîtrait baignée dans la lumière de la charité. C'est la pensée qu'a mise principalement en relief M. Gérard Philips dans cet essai sur la theodicée, proprement dite, de

saint Augustin. Le dépouillement des œuvres du saint Docteur a été consciencieux, et il est éclairé d'une connaissance sérieuse de la littérature augustinienne de ces derniers siècles; mais on peut dire qu'un seul mot récapitule tout, qui apparaît en exergue, en conclusion, et partout sert de *leit-motiv*:

Il ne se promet aucun avantage, même des œuvres des bons,
Et procure l'avantage des bons, même par le châtiment des méchants.
Nihil sibi consulens nec de operibus bonorum
Et bonis consulens etiam de poenis malorum
(*De Gen. ad lit.*, XI, 11, 15).

Tout par amour. Omnia propter electos: y compris l'abandon de ceux qui tournent le dos à l'amour. Ici je laisse la parole à l'auteur qui formule en ces termes sa conclusion:

« Nous comprenons parfaitement ce que nous lisons chez d'autres Pères: la Providence permet le péché personnel, afin que le juste s'en relève plus prudent et plus humble. Mais nous nous étonnons en entendant Augustin dire: Les réprouvés manquent leur fin par leur propre faute; Dieu cependant ne permettrait pas cette damnation, si elle ne servait à pousser plus fortement le juste vers sa fin et à l'y attacher davantage. En cela consiste la vraie originalité d'Augustin. Très souvent il insiste sur cette considération qui lui est tout à fait propre. Il ne voit pas seulement la manifestation de la justice de Dieu dans les réprouvés et celle de sa miséricorde dans les élus (cela les autres Pères et les docteurs scholastiques le font aussi); mais allant plus loin, il démontre que tout est créé, tout est ordonné, tout est permis, jusqu'à la damnation des pécheurs, pour le plus grand bien des saints » (pag. 227).

Plus haut, dans le corps de l'ouvrage, s'était rencontrée cette précision sur les utilités que saint Augustin discerne dans l'ultime permission divine:

« Dans les desseins de Dieu rien ne se fait sans raison. Ne sommes-nous donc pas fondés à croire qu'il a eu devant les yeux une utilité ultérieure, autre même que la manifestation de sa justice, quand en toute équité il a permis [l'impénitence] des réprouvés? Lui ne perçoit certes aucun profit de la damnation d'un certain nombre d'hommes; les malheureux damnés, pas davantage, cela va de soi. Il reste que cette sentence du juge condamnant les coupables profite aux élus. Terrifiés par la punition de leurs semblables, ils se corrigent de leurs

mauvaises actions et opèrent avec crainte leur propre salut, se souvenant du verset: Que celui qui croit être debout prenne garde de ne pas tomber. Le juste supplice des uns montre aux autres la gratuité du don divin; il leur apprend à rendre grâce au Sauveur et à s'élever à une plus haute humilité, d'après le mot de l'Ecriture: Celui qui se glorifie, qu'il se glorifie dans le Seigneur; en d'autres termes, il les fait grandir dans la charité » (pag. 173-174).

Ne croirait-on pas entendre saint Ignace « demander un sentiment intime des peines qu'endurent les damnés, pour que si jamais j'en venais à oublier l'amour de Dieu, du moins la crainte du châtiment m'aidât à ne pas tomber dans le péché »; puis, une fois terminée la considération des maux dont souffrent « les âmes qui sont en enfer », « remercier Dieu de ce qu'il n'a pas permis » que j'en fusse; enfin exalter « la piété et la miséricorde dont il a toujours usé envers moi »? (*Exercices Spirituels*, 1ère semaine, exerc. 5).

Cette utilisation de l'enfer n'est sans doute pas la seule manière dont se vérifient les paroles lues par Dante sur les portes du lieu terrible: « Je suis l'œuvre... du premier amour »; mais on conviendra peut-être que ce n'est pas la plus mauvaise.

L'Apologétique a grandement à profiter de cette vue de saint Augustin, comme d'ailleurs de tant d'autres sur la corruption de notre appareil sensitif, sur l'affaiblissement de notre libre arbitre, sur le rapport d'origine entre le péché et la concupiscence, sur la qualité propre de la grâce qui y fait contre-poids, sur la supériorité de notre justification en Jésus-Christ en regard de la justice perdue en Adam, enfin sur la prédestination spéciale des mérites dans l'économie de la rédemption. Ce qui fait l'unité de cette apologétique augustinienne, c'est le recours à l'amour comme solution dernière de tous les problèmes. L'amour est gratuit; il exclut toute dette, mais surtout à l'égard du débiteur. L'amour se passe de raison, et il est la raison de la justice elle-même. Un seul mot dit Dieu, tel qu'Il veut être à l'égard de sa créature: Dieu est amour — Deus caritas est — et rien, qui ne soit amour, ou ne se résolve dans l'amour. Voilà l'idée augustinienne de Dieu et de la Providence. On l'appelle augustinienne, parce qu'Augustin l'a creusée et l'a exploitée en une infinité d'ouvrages, depuis ses traités de philosophie religieuse contre les manichéens, jusqu'à ses dernières productions théologiques contre le pélagianisme. Mais en réalité elle est toute paulinienne dans son fond; et n'est-elle pas l'expression toute naturelle du spectacle sur lequel Jésus-Christ a voulu que conformément aux prophéties s'arrêtât le re-

gard des siens au terme de sa carrière mortelle: un cœur large ouvert, qui s'épuise sur l'humanité. Il n'y a pas de réserves, de son côté. Le péché ne l'arrêterait pas, s'il voulait bien céder. Mais le péché aussi, même obstiné à se damner, ne l'empêche pas de rester ce qu'il est, et par dessus le jugement, de ne viser en fin de compte que la béatitude de qui se laisse sauver. Apologétique profonde; apologétique efficace, parce qu'elle est le rayonnement de la vérité la plus centrale du christianisme; apologétique toujours actuelle, parce qu'elle trouvera toujours dans le cœur de l'homme une disposition à se laisser persuader par l'amour plus que par la dispute. N'est ce pas Bossuet qui témoigne que la Palatine ne se serait jamais convertie, si elle n'eût un jour compris cette vérité, que la foi procède de l'amour. Il faut quelque chose pour motiver le *pius affectus*, l'affection pieuse, qui déclanche la foi. Il faut un attrait qui passe par le cœur, pour entraîner l'esprit. Et c'est bien une partie de l'apologétique, et non la moindre, qui ouvre au cœur les perspectives dans lesquelles il rencontrera la séduction divine.

A accréditer cette méthode, puissamment intellectuelle en même temps qu'humaine et prenante, contribuera dans une large mesure l'enquête conduite par M. Gérard Philips. Non que l'auteur ait voulu faire lui-même métier d'apologiste. Son rôle est celui d'un théologien qui rapporte, explique et coordonne. Ce qu'il faut lui demander, c'est l'exactitude et l'intelligence. On sera bien servi. Il se pourra ici ou là que la structure de tel chapitre n'apparaisse pas parfaitement nette, ou que les matières débordent quelque peu de l'un sur l'autre, ce qui est presque inévitable vu leur interdépendance, ou que l'impression de vie dont fourmillent les écrits de saint Augustin ne soit pas rendue autant qu'on l'eût aimé, dans ce morcellement, où manquent peut-être les traits concrets bien choisis qui eussent fait ressortir la physionomie du protagoniste et de ses opposants. On trouvera bien aussi, sans doute que la rédaction est par moments un peu lâche; certains passages de loin en loin semblent plutôt jetés que véritablement écrits. Mais ce sont là menues failles dans une œuvre que les gens compétents regarderont comme un beau début dans la carrière des lettres théologiques.

MAURICE DE LA TAILLE S. I.

American Catholic Philosophical Association.
"The New Scholasticism".

Mense Ianuario anni 1926, conventu ad hoc ipsum in Universitate Catholica, in urbe Washington, coacto, condita est Associatio Americana Philosophiae Catholicae (« AMERICAN CATHOLIC PHILOSOPHICAL ASSOCIATION »), ibique primae eiusdem habitae sunt sessiones. Eodem fere tempore omnia parata sunt ad inchoandum novum quoddam periodicum philosophicum, quod reapse coeptum est typis edi ab initio huius anni; inscribitur autem « *The New Scholasticism* » (Catholic University Press, Baltimore). Quanti momenti sit utrumque inceptum, quamque bene meriti sint de scholasticis omnibus eorum auctores ex hoc solo coniici potest quod abhinc duos tantum annos in universis iis regionibus ubi lingua Anglica usurpatur ne una quidem talis societas inter philosophos Catholicos, ne unum quidem periodicum totum rebus philosophicis deditum exstiterit, saltem quod late circumferretur, essetque indolis revera universalis. Ita laboraverunt professores nostri maxima ex parte sibi invicem incogniti, incogniti certe acatholicis. Qui de sua materia aliquid scribere vellet, opus erat ut hoc adaptaret exigentiis periodicorum non-scholasticorum, vel ephemeridum Catholicarum quarum finis et scopus esset longe alius. Altera ex parte pullulant ubique adversariorum organa, — septemdecim periodica exstant res tantum psychologicas tractantia in solis Statibus Foederatis Americae! Quo fit ut non nimis mirandum sit Scholasticam adeo spretam esse in ultimo Congressu Internationali Philosophiae, qui in America habitus est, ut ad eam partem relegaretur quae de philosophiae historia ageret.

Fausta praeter omnem spem sunt incepta huius novae Associationis, cuius secundi conventus Acta iam typis edita sunt [1]. Plus quam 300 socii numerantur, inter quos omnes fere Scholastici alicuius nominis in America necnon pauci inter celeberrimos Europae. Si ullum antea exstitisset dubium sive de possibilitate sive de utilitate talis operis, lectis his Actis evanescit. Dissertationes omnes sunt de quaestionibus gravibus, ad disputationes hodiernas spectantibus, quae tractantur tum debita scientia tum genere dicendi minime obsoleto. Plerumque (quod

[1] *Proceedings of the second annual meeting of the American Catholic Philosophical Association*, held at the University of Notre Dame, December 28 and 29, 1926, in-8°, 105 pag.

valet etiam de articulis in « The New Scholasticism ») respiciunt directe systemata adversaria, procedunt tamen non tam polemice quam modo expositorio, hoc imprimis intendentes ut ostendant Scholasticam reapse continere solutionem difficultatum modernarum.

In suo « Presidential Address », *Dr. Edward A. Pace*, Associationis praepositus, ostendit quo pacto recentiores, « sensum transcendere non valentes », cum ubique substituant voces vagas et ambiguas pro realitatibus metaphysicis veterum, omnem tandem realitatem et veritatem ex philosophia abegerunt. Neo-Realismum Americanum exponere conatur *Soror Maria Verda*; labor est sane non exiguus, si istius philosophiae novitates et obscuritates expendimus. Satis ostendit hic agi de panobiectivismo quodam phaenomenistico, quidquid est de contradictione in tali voce implicata. Nec minus recte monet *Prof. Chas. C. Miltner* vix quidquam commune cum realismo scholastico eum habere nisi nomen ipsum Realismi. Cum vigore intimoque rei intellectu explicat *R. P. Mc Cormick, S. I.*, et ortum doctrinae parallelismi psycho-physici, et rationes cur adeo coaevorum nostrorum sollicitet mentes, concluditque citando nonnullos Sancti Thomae locos quos continere opinatur genuinam solutionem scholasticam. Distinguendo obiectum materiale a formali, negativum a positivo, *Prof. Fulton J. Sheen*, in *Contemporary Conceptions of Religion*, censet obiectum materiale religionis apud hodiernos non esse Deum, ens supremum, sed « fiduciam in conservationem valorum », obiectum vero formale esse non processum rationis sed experientiam religiosam. Dissertatio est synthetica, ultra modum schematica, conante auctore tam multa dicere secundum certas divisiones oppositionesque ut nonnunquam obscure, si non paulo erronee loquatur. Oppositio, v. g.- inter Catholicos accedentes ad Deum ope ratiocinii ex mundo externo, et modernos per cordis intuitionem, posset facile ansam praebere errori, siquidem taceat de aspectu integro et fundamentali religionis no, strae. Certe *Prof. Gerald B. Phelan* bene nosse videtur litteraturam circa spinosam quaestionem quam tractat in *The Frontiers of Psychology and the Philosophy of Religion*, multaque ibi scribit et docta et retentu digna. Non tamen desunt hic illic indicia cl. auctorem vix aeque ponderasse veras relationes quae vigent inter diversas disciplinas, inter psychologiam empiricam et rationalem, inter primam et studium phaenomenorum religiosorum, inter philosophiam et sacram theologiam. Ut unum tantum referam, « Quando oritur », inquit, « quaestio religiosa, scientia empirica psychologiae est perfecte capax tractandi phaenomena experientiae religiosae », quae capacitas quam sit dubia ipse auctor luculenter demonstrat in parte praecipua suae thesis. Immo R. P. Ma-

réchal in dissertatione *La Psychologie des Mystiques* hic citata, cuius argumenta auctor sua facit, praecise in eo est, nisi fallor, ut impugnet talem « competentiam » seu iudicandi idoneitatem psychologiae empiricae. Demum, in *The Basis of Objective Judgments in Ethics*, *Dr. John A. Ryan* breviter exponit sed magistrali modo doctrinam scholasticam de fundamento iudiciorum moralium.

Duos numeros initiales periodici « THE NEW SCHOLASTICISM » ad manus habemus, forma oculis grata, pulchre impressos, magna diligentia editos, doctrina solida refertos. Quater in anno typis edetur, centum circiter paginas complectens, qua modestia commendandi sunt editores, cum ita facilius fieri possit ut non contineat nisi selecta. Inter cetera laudandum est *Chronicle* sive « Bulletin » philosophiae Americanae, quod multis sine dubio gratum erit, optamusque talem conspectum singulis saltem annis confectum iri.

MENSE IANUARIO, 1927 : Maurice de Wulf : *Cardinal Mercier, Philosopher.* Etienne Gilson : *Le rôle de la philosophie dans l'histoire de la civilisation.* Tres distinguit Cl. A. apud philosophiae historicos tendentias : omne systema philosophicum oriri ex variis causis physicis, sociologicis, etc., ipsi philosopho extrinsecis ; vel ex ingenio proprio quasi efflorere ; vel tandem deberi amori sapientiae, pendere a veritate obiectiva. Nulla interna contradictione inter se opponi hos conceptus monstrat, esse potius tres aspectus sese invicem complentes eius partis quam reapse habet philosophia in historia. William Turner : *The Scholastic View of Faith and Reason.* Exponitur doctrina communis. Alphonse M. Schwitalla : *Emergent Evolution.* Crisis est theoriae nunc late divulgatae Prof. C. Lloyd Morgan. Significat evolutio sensu vulgari id evolvi quod involvitur, explicitum reddi id quod iam implicite continebatur. Evolutio vero dicta « emergens » respicit novitatem rei apparentis, contenditque aliquid evolvi quod non est mera explicitatio antecedentium nec potuit ex eorum analysi praevideri. Exempla habeas ortum vitae, mentis, cogitationis reflexivae. Quae omnia viderentur reactionem indicare in sensum Scholasticorum. Obscuritates tamen novae theoriae et incertitudines praesertim quod attinet ad animam et ad Deum exponit R. P., et affirmat eius dependentiam in multis a philosophia Spinosiana. A. D. Sertillanges : *The Moral Sanction.* Totus est R. P. in ostendendo sanctionem non esse quid extrinsecum, actionibus nostris veluti heterogeneum, sed earum consequentiam normalem. Nec dici potest poena novum dumtaxat addere malum malo peccati. « Peccatum est malum ; poena abstracte considerata est malum ;

sed quod peccatum ita sanctioni subiiciatur est bonum, inquantum talis sanctio revelat ordinem naturae cui praesidet iustitia. J. Albert Haldi: *A Study of the Empirical and Metaphysical Personality.* Variae reactiones personae humanae postulant formam substantialem, quod probatur contra eos maxime psychologos qui vocantur « Behaviorists », arguendo tum a fortiori ex eo quod ne inferiorum quidem viventium reactiones possint mero mechanismo explicari, tum ex phaenomenis homini propriis.

Inter librorum recensiones, pag. 86, haec inveniuntur: « Ex eo tempore (sc. Renascentiae) in monasteria refugiens obdormivit Scholastica, usque dum expergefacta a S. P. Leone XIII iussa est primum seminaria ingredi, deinde... ». Spero equidem illam tam absonam, nostrisque maioribus tam iniustam vituperationem ut adversariorum placita, non ut ipsius revisoris sententiam, esse intelligendam. Quod si ita est, claritas saltem nonnihil desideratur.

Mense Aprili: Edwin J. Auweiler: *Quaracchi.* Describit labores ingentes atque summa admiratione dignos quos Florentiae moliuntur Patres O. F. M. in edendis operibus magnorum doctorum scholae Franciscanae. Dolendum est profecto nihil simile factum esse pro longe maiore parte ceterorum veterum Scholasticorum. Attamen timendum est ne R. P., quodam enthusiasmo ductus, exaggeret paululum tum imperfectionem earum quas habemus editionum, tum huius rei funestas sequelas pro Scholastica hodierna. Rudolph G. Bandas: *Revelation and Dogma in Contemporary Thought.* Conatur R. auctor in paucas paginas cogere synthesim completam huius ardui argumenti. Numerum itaque immensum problematum valde diversorum tangit, quorum cuique suam adfert solutionem. Spectata rei difficultate a negotio satis bene se expedit. Fieri tamen non potuit quin responsa aliquando nimis simplicia viderentur atque schematica. Unica brevi paragrapho exponi nequit vera mens Sancti Thomae de desiderio naturali visionis immediatae Dei, nec quid censeant doctores Catholici de valore cognitionis experimentalis apud mysticos. L. Noël: *The Neo-Scholastic Approach to the Problems of Epistemology.* Adumbratur positio problematis critici eiusque solutio ad mentem scholae Lovaniensis, indicatis praesertim iis quae habet plus minusve communia cum placitis Realistarum Americanorum. Fulton J. Sheen: *Prof. Whitehead and the Making of Religion.* Crisi diligenti et acutae subiicitur theoria professoris Harvardiensis, quae, quamvis sit praepostera captuque difficilis, multis cum in America tum in Anglia miro modo arridet. Chas. C. Miltner: *Moral Science, Mind and Man.* Asseverant hodierni si velimus ad novas

cognitiones attingere de natura morali hominis, relicta metaphysica et omni de fine supernaturali disputatione, adhibendas esse solas methodos inductivas et quantitativas. Quo processu reapse pessumdari omnem scientiam ethicam satis superque evincit cl. scriptor.

Leo Keeler S. I.

RECENSIONES

I Salmi tradotti dall'ebraico annotati e commentati da Ferruccio Valente M. I., 2ª ed. rived. e corr. — Torino, Soc. Editr. Internazionale, 1926, in-12°, ix-314 pag. L. 10.

Visto il fine della collezione « Letture Bibliche » dirette dal P. Ferruccio Valente M. I. questo del ch. direttore è un ottimo volumetto da consigliarsi a tutti, ma principalmente a quei sacerdoti che non hanno comodità di fare studi profondi sul Salterio. Quivi essi troveranno tutto ciò che è necessario alla piena intelligenza di quei sacri carmi che per il loro ufficio hanno continuamente sulle labbra. Nell'Introduzione troveranno notizie concise ma sufficienti e sicure sul Salterio e l'indole della sua poesia, sui titoli e sugli autori dei salmi, sul tempo e sul modo in che furono raccolti ed anche sulla lettura pur anco così incerta dei nomi propri ebraici. La versione sul testo ebraico è condotta con molta fedeltà in lingua corretta italiana e in modo che senza grande difficoltà si abbia pure il senso netto della Vulgata, tranne quei luoghi non molti dove o il testo ebraico è corrotto, o la Vulgata ha preso evidentemente un *qui pro quo.* Le note e i commenti sono sobrii, ma sostanziosi, perchè il ch. Valente si è servito dei migliori e più recenti studi sul Salterio: e merita lode principalmente per avere riportato in nota i passi del N. T. che hanno qualche relazione coi salmi. È chiaro che in un lavoro di questa fatta non possono aspettarsi disquisizioni sui punti controversi, però il ch. A. non trascura di proporre la sentenza a suo giudizio più attendibile. Forse in alcuni punti non tutti converranno con lui come per es. sull'origine e sul tempo di composizione del salmo 89 (della Vulgata 88) intorno a che si può vedere P. A. Vaccari *I libri poetici della Bibbia*

od anche questo stesso nostro periodico, anno I, vol. 1°, pag. 241 in nota. Con tutto questo noi siamo lieti di poter far nostro il giudizio del ch. Revisore ecclesiastico cioè: il lavoro del P. Valente essere commendevole « per la sodezza dottrinale in tutto conforme alle direttive della S. Sede circa le questioni che toccano lo studio della S. Scrittura, per la competenza non comune dal lato filologico, esegetico, letterario ». P. FRANCESCHINI S. I.

CARL FECKES, DOZENT A. D. ALBERTUS-MAGNUS-AKADEMIE ZU KOELN. — **Die Rechtfertigungslehre des Gabriel Biel und ihre Stellung innerhalb der nominalistischen Schule.** (Münsterische Beiträge zur Theologie, 7). — Münster i. W., Aschendorff, 1925, in-8°, XVI-150 S.

Duabus partibus exponitur primo quaenam fuerit Gabrielis Biel doctrina de iustificatione, deinde quem locum in schola nominalistica occupet. Praeter theoriam cognitionis (i. e. logicam) auctor maxime fundamentalem in systemate Nominalium assignat doctrinam, qua homo in tota sua vita morali simpliciter subesse dicitur absoluto arbitrio divino (pag. 12 s.). Expositioni doctrinae Gabrielis Biel animadversionem auctor praemittit, qua notat, quamvis per se exspectandum sit, hominem, secundum doctrinam G. Biel, in manu Dei instrumentum esse propria voluntate destitutum, de facto tamen proponi doctrinam, ob quam fere Semipelagianismi accusatus sit (17). Et addit: Ac si nominalistae ipsi disharmoniam hanc inter doctrinam suam de Deo ex una parte et doctrinam de iustificatione ex altera parte percepissent, in eorum systemate doctrinam de iis, quae in praesenti ordine valent (potentia Dei ordinata), semper comitatur alia quaedam doctrina iustificationis, quae quidem saepe solummodo innuitur, et quae in ipsis principiis nominalisticis fundatur, sine respectu ad doctrinam Ecclesiae (potentia absoluta). « Dieser Zwiespalt und das Spielen mit einer anderen Lehre als die Kirchenlehre sie bietet, ist für die Entwicklung Luthers so bedeutungsvoll geworden » (17).

Haec idea duplicis doctrinae apud Nominales integrum opus pervadit.

Principalis et fundamentalis thesis doctrinae nominalisticae de iustificatione eam unice pendere dicit a divina acceptatione, hinc externam imputationem ad iustificationem sufficere (20). Sed: ita *potuit* esse secundum potentiam Dei *absolutam*; si autem quaeritur, quidnam de facto sit secundum Dei potentiam ordinatam, res apparet plane diversa: Nam secundum doctrinam S. Scripturae et SS. Patrum dubium esse non po-

test, illum solummodo Deum dicere iustum, illum solum beatificare, qui ornatus est gratia sanctificante, forma inhaerente. Sola quidem ratione hoc probari nequit, sed auctoritas Ecclesiae pro hac veritate intercedit (22). Et ita, sic auctor, in quaestione fundamentali omnis doctrinae de iustificatione duplex iam systema habetur in Nominalismo: alterum secundum potentiam absolutam; et hoc est systema secundum recta principia Nominalismi: acceptatio mere externa; alterum secundum potentiam ordinatam: nota Ecclesiae doctrina.

Peccatum originale est secundum Gabrielem Biel carentia iustitiae originalis cum debito habendi eam, quod debitum Deus mutavit in debitum habendi gratiam sanctificantem (27). Homo praeparare se debet ad iustificationem bonis operibus, quibus de congruo infusionem gratiae meretur (38; 42); vires naturales ad hanc praeparationem sufficiunt, quamvis de facto Deus gratias medicinales concedat. Haec praeparatio absolvitur actu caritatis in Deum, quem actum ipsa infusio gratiae immediate sequitur; culpa et gratia simul esse non possunt in eadem anima, et sic infusione gratiae habetur deletio peccati (44). Oppositio autem inter gratiam et peccatum non est absoluta, sed ex positiva ordinatione Dei de facto exsistit (46; 51). Concluditur prima iustificatio receptione sacramenti Baptismi. Simili modo iustificatio secunda procedit. Sicuti homo, cum sacramentum Baptismi recipit, iam ornatus est gratia (ex actu caritatis), ita quoque in sacramento Paenitentiae ex actu contritionis, quae tamen vim suam habet ex voto confessionis quod in contritione includitur (80).

Secunda parte suae inquisitionis auctor assignare vult locum qui Gabrieli Biel intra scholam Nominalium tribuendus sit; ita occasio praebetur, doctrinam totius scholae nominalisticae de iustificatione breviter ob oculos ponendi. Ii vero ex Ockamistis, qui explicite doctrinam Ecclesiae reliquerunt, non considerantur (huius exceptionis rationem non bene video; sunt autem Thomas Bradwardinus, Nicolaus de Ultricuria, Ioannes de Mirecuria), praeterea ii quorum philosophica tantum scripta sunt nota; remanent Robertus Holcot, Adam Godham, Henricus de Hassia, Henricus de Oyta, Gregorius Ariminensis, Marsilius de Inghen, Petrus de Alliaco, Gerson, Iacobus Almain et Ioannes Maior. Illi omnes simul cum Ockamo et Gabriele Biel sufficiens praebent fundamentum, sic auctor, ut definitivum ferri possit iudicium de doctrina iustificationis in schola Nominalium (93 s.).

Comparatio doctrinae Gabrielis Biel cum aliis Nominalibus instituitur secundum illa puncta, quae maxime apparent characteristica, et sunt: 1) theoria acceptationis in iustificatione: secundum voluntatem Dei

absolutam iustificatio posset consistere in externa denominatione, externa acceptatione, quin status internus hominis necessario debeat mutari; consequenter in doctrina de merito nimium insistitur in acceptatione: Deus potest beatitudine praemiare opera mere naturalia. 2) theoria imputationis in doctrina de peccato: formale status peccati consistit in obligatione ad poenam propter actum peccati; deletio peccati vero in non-imputatione huius poenae, in solutione istius obligationis. 3) Ex primatu voluntatis habetur positiva praeparatio ad infusionem gratiae solis viribus naturalibus; vera gratuitas gratiae vix servatur. 4) Contritionismus, ita ut absolutio sacerdotis solum sit declaratio, Deum peccata remisisse (94).

Conveniunt Nominales in duobus punctis magni momenti, scl. primo in determinanda causa formali iustitiae, insistendo in acceptatione divina. « Nach der potentia absoluta geben sie sich zufrieden mit einem äusseren Gerechtsein und betonen immer wieder das volle Freisein Gottes gegenüber Natur und Uebernatur in jeder Hinsicht » (138). Praeterea Ockamistae conveniunt in eo, quod peccatum habituale sit obligatio ad poenam, res externa, deletio vero peccati, secundum potentiam absolutam, sit non-imputatio, sine infusione gratiae sanctificantis; non requiritur interna mutatio, dummodo voluntas non iam actu adhaereat peccato. « In diesen beiden Fundamentalpunkten kann man also mit Recht von einer nominalistischen Schulmeinung sprechen ». Nullus vero habetur consensus de eo quod homo viribus naturalibus possit, de auxiliis divinis, de praeparatione ad iustificationem, utrum prima gratia mereri possit; praeterea non consensus in doctrina de sacramento Paenitentiae (138). Ergo caute adhibendum illud: « Nominales dicunt »!

In conclusione auctor dicit: « Die Darstellung der nominalistischen Rechtfertigungslehre nach dem Kollektorium Gabriel Biels lässt in eine Gedankenwelt hineinschauen, die weit verschieden ist von der der Hochscholastik, weit verschieden auch von der der heutigen Theologie. Es bietet einen eigenen Reiz, dieser zwiespältigen Theologie, der Theologie secundum potentiam absolutam Dei und der Theologie secundum ordinatam potentiam nachzuspüren. Zwei ganz verschiedene Systeme ergeben sich, die mitunter nicht in Einklang zu bringen sind. Den Schaden trägt immer die geoffenbarte Kirchenlehre » (139). Initio iam indicavi ideam hanc de duplici systemate theologico Nominalium totum hunc librum pervadere; attamen nondum mihi persuasum est, recte mentem Nominalium ita reddi, ut eis duplex theologia tribuatur, multo minus ibi haberi duo systemata, quae inter sese non concordent.

Revera Nominales ex fontibus revelationis exponunt id quod in praesenti oeconomia salutis de facto et unice valet; praeterea quaerunt: estne realis ille ordo, qui de facto et unice nunc est, absolute necessarius? debuitne Deus necessario rem ita instituere, suntne necessitates ex natura rerum, quae hoc exigant? Potestne a priori, ex natura rerum, praesens ordo ut absolute necessarius deduci? Sit exemplum: Si Deus hominem creare vult, debetne illi assignare finem supernaturalem? Et si de facto statuit homini finem supernaturalem, debuitne absolute iam in statu viae hominem actu ornare gratia sanctificante entitative supernaturali et adoptare in filium? Et si ita voluit, ut nemo sit iustus, nisi gratia hac sanctificante ornatus, ut gratia et peccatum non simul sint in eodem subiecto, estne metaphysica oppositio inter gratiam, ut est ens physicum huius determinatae perfectionis, et culpam, an est oppositio physica, an solum moralis? Et debuitne elevatio ad ordinem supernaturalem absoluta necessitate per aliquam entitatem praecise eius naturae fieri, qualis est nostra gratia sanctificans?

Qui huiusmodi quaestiones sibi proponit, de facto inquirit non solum in id quod est (potentia ordinata), sed etiam in id quod absolute, sine contradictione esse, a Deo institutum esse, posset (potentia absoluta). Tales inquisitiones, si recte instituuntur, in profundiorem intellectum rerum inducere possunt, per se non carent utilitate, et in usu erant non apud solos Nominales. Sed propter tales inquisitiones sermo esse non debet de duplici theologia, altera secundum potentiam ordinatam, altera secundum potentiam absolutam, neque de duplici systemate theologico, multo minus de contradicente; neque hoc dici potest, si ad has quaestiones responsa dantur non approbanda, si potentiae absolutae tribuuntur, quae ei tribuenda non sunt, sive, id quod est idem, rarissime necessitates naturae admittuntur. Ulterior inquisitio de hac re apud singulos Nominales fructu forte non caret. Interim vero nescio, an simpliciter affirmari possit: «Nach ihren (Nominalium) Prinzipien würden sie, wenn die Lehre der Kirche dem nicht entgegenstände, jeden übernatürlichen Habitus wegleugnen, mit einer äusserlichen Rechtfertigung sich begnügen, alles auf die Akzeptation Gottes ankommen lassen, der dann akzeptieren würde ohne Rücksicht auf den innerlichen Zustand des Menschen und ohne übernatürlichen Werken vor den rein natürlichen den Vorzug zu geben» (119); melius forte diceretur: Deus absolute (sine interna contradictione) ita rem ordinare *potuit;* vel, *ex naturis rerum* deduci nequit, necessario rem ita esse, sed Deus libere voluit talem, praesentem ordinem instituere, et de hac libera eius voluntate nobis non constat nisi positiva revelatione. Et iterum (pag. 139): «Die ganze Uebernatur

erscheint wie ein Ueberbau, dessen Sinn und Notwendigkeit nicht klar wird ». Essetne theologia laudanda in qua illa necessitas appareret?

Concludit auctor breviter indicando influxum, quem Nominalismus in Lutheri doctrinam de gratia habuerit.

Pag. 33 « secundo considerandum » per se non dicit, an zweiter Stelle also ist erst (!) zu beachten; pag. 45 ss. quidnam est « Material*objekt*, Formal*objekt* der Sünde » ?; pag. 61 pro « Zirkumstanz » dici potest « Umstand », similiter pro « Insuffizienz, Suffizienz », Nichtgenügen, Genügen; quidnam significat (pag. 84) Spiritum Sanctum in nobis inhabitantem esse *proportionalem* Sanctissimae Trinitati?

H. LENNERZ S. I.

H. NOLDIN, S. I.-A. SCHMITT, S. I. — **De praeceptis Dei et Ecclesiae,** Editio 18ª. — Œniponte, Rauch, 1926, in-8°, 746 pag.

Volumen quod b. m. P. Noldin dicavit exponendis praeceptis Dei et Ecclesiae ceteris partibus sui operis moralis tum copia rerum tum prudentia responsionum nobis praestare videtur. Ipsae hodiernae quaestiones sic dictae sociales eum non fugerunt, ita ut non pauca attingantur quae in plerisque tractatibus theologiae moralis praetereuntur. Sic non tantum de iusta operariorum mercede et de operistitiis agitur, sed etiam de emancipatione et salario feminarum, de iure ad laborem, de tecto quo operarii recipiuntur, de cura pauperum, etc. erudite disseritur et nervose concluditur. Et cum res quae secundum ius naturae vel saltem ius privatum definiuntur ceteris esse soleant magis firmae, editor, R. P. Schmitt, ultro plura quam in volumine de Sacramentis intacta linquere potuit et debuit.

Minime tamen spernenda est editoris contributio in hac nova editione adornanda. Et re quidem vera: In ipso tractatu de virtutibus theologicis quem P. Noldin speciali cura conscripsit, dicta auctoris non semel feliciter temperavit. Ita v. g. ad n. 66, 2, c, ubi auctor pastores animarum hortatur ad promovendas societates in quibus corpora iuvenum physice exercentur, P. Schmitt subiungit: « Nostro tamen tempore caveri debet ne haec exercitia et corporis educatio tamquam finis ultimus proponantur, e contra animi et religionis cultura negligatur ». De ornatu muliebri, n. 107, c, apposite docet duplicis rationis exsistere scandalum, quatenus vel libido excitatur, vel proditur defectus pudoris vel audacia.

Minus tamen nobis probatur haec additio ad n. 90, f, ubi, post descripta bona necessaria vitae, statui, decentiae, subiungit: « Cetera sunt

superflua simpliciter », quasi inter necessaria et superflua non interiaceant utilia. In ista quaestione de eleemosyna, opus P. Noldin communem defectum participat non satis explicite monendi hodie privatas eleemosynas plerumque ad fines spirituales imperari, v. g. providendi scholis catholicis pueros modicae condicionis. — De sententia S. Alphonsi circa quantitatem erogandam quorundam opinionem recenset quam a mente S. Doctoris alienam arbitramur. Is eam non definit quinquagesimam partem redituum qui superflui sunt — quod esset nugatorium — sed quinquagesimam partem omnium redituum, si quinquagesima ista pars ad superflua pertinet. (Cf. nostram *Theol. mor.*, II, n. 106).

In difficili quaestione de cooperatione, dolemus quod omittatur cooperatio ad bonum. Exemplis autem cooperationis illicitae apte addit cooperationem ad illicitam actionem medicorum. De implicita daemonis invocatione, de divisione sacrilegii in personale, locale, reale, de irritatione votorum directa et indirecta, via trita inceditur quam editor, ni fallimur, rectificasset si res propius examinasset.

Ac plura sunt quae maturiore deliberatione digna forent: v. g. de natura religiosa iuramenti postulati a potestate civili; de fidelitate tyranno praestanda (ubi tum conclusione, tum argumentis peccatur); de obligatione tributorum, de iustitia legali, de foetu ectopico (observes, ad n. 340 nostrum non esse placitum eorum qui excusant foeticidium foetus probabiliter exanimis); de iure praescriptionis (ubi definitioni Lateranensi vis tribuitur quam non habet); de defensione secreti (ubi non deseritur improprius et infaustus modus dicendi de restrictione late mentali). Nota subiuncta n. 328 de castratione omnino reformanda est. Namque, fortasse propter errorem typographicum non solum confusa est sed sibi non cohaeret.

Ad n. 397 observandum occurrit, laborem esse quidem modum occupandi res materiales, sed non esse distinctum ab occupatione titulum acquisitionis. — In n. 411, perperam circumscribitur axioma: « Scienti et consentienti non fit iniuria », iuribus quae alienari possunt, quasi consensus semper secum ferat cessionem iuris, dum mera tolerantia esse potest. Erit etiam qui mirabitur ex iure positivo (sine ulla demonstratione) repeti obligationem restituendi pauperibus quod ex delicto debetur nec potest personae laesae reddi; bene autem obligationem etiam ex damnificatione iniusta oriri statuitur. Editor omnino eleganter disputat n. 556 de obligatione conscientiae heredis qui neglegit pias voluntates testatoris, in testamento mere civiliter informi descriptis. Nec minus laudandus est, cum n. 576 perpendit rationem qua debitis pecuniarum satisfieri debet, quando tantopere valore varient.

Nonne etiam expediret fugere quae in ipsa titulorum inscriptione mirationem movere possunt ut cum titulus Libri IV legitur « *De sustentatione Pastorum et crematione cadaverum* ».

Quam sincere opus et editorem laudaverimus, manifestum fit etiam simplici sermone quo quaedam minus perfecta enumeravimus.

A. VERMEERSCH S. I.

H. NOLDIN, S. I.-A. SCHMITT, S. I. — **De Sacramentis**, Editio 17ª. — Œniponte, Rauch, 1925, in-8°, 716 pag. et editio 18ª, Œniponte, Rauch, 1927, in-8°, 716 pag.

Quando, anno 1925, pag. 471 huius commentarii, recensuimus vol. *de Principiis* cuius editio brevi sequebatur pium obitum auctoris Noldin, S. I., editorem a multis correctionibus excusavimus propter ipsam temporis angustiam qua pauca tantum emendare permittebatur. In tertio autem tomo de Sacramentis examinandum et observandum nobis erat quo pacto multo plura emendata essent et ad perfectiorem rationem redacta. Id, inquam, nobis faciendum erat, hoc nostrum erat propositum, quando ipsa rapida istius editionis 17ae diffusione id exsecutione complere prohibiti sumus. Tam cito enim editio 18ª excepit 17am, ut publici iuris facta sit antequam vacaret quidquam de isto opere in hoc commentario conscribere. Quae velox diffusio ipsa non exiguae laudi vertitur tum primi auctoris tum eius successoris. Itaque nobis iam restat ut brevi comparatione utriusque editionis, saltem per quaedam exempla quid valoris ad tractatus de Sacramentis accesserit significemus.

Ac sane, in primis nobis non potuit esse nisi iucundum, quod in hac novissima editione, n. 118, editor saltem practice correxerit miram et singularem solutionem qua P. Noldin permittebat ut, sub condicione, intra missam repeteretur consecratio particularum dubie consecratarum, quae statim distribui deberent. Hoc eo magis dolebamus, quod in libro manuali, qui tam multis esse debet dux et consiliarius, cautius ea tantum proponenda sunt quae omnino tuta existimanda sunt. Recte etiam, n. 207, b, iam licere dicit sacerdoti caecutienti. ut ter in die Nativitatis Domini Missam votivam celebret. Optime etiam factum arbitramur, quod, n. 192, 5, recesserit ab ea quae in prioribus editionibus perhibebatur « certe probabilis » sententia, qua negatur peccari contra iustitiam a sacerdote qui non tradiderit totum stipendium celebranti. Iam in priore editione laudare debueramus editorem quod,

n. 371, 1, ad peccatum complicitatis restrinxerit privationem iurisdictionis quam b. m. P. Noldin, n. 370, ad omnia complicis peccata nondum accusata et directe remissa extenderat. Nec minus gratum nobis fuit videre, quod non iam, contra ac P. Noldin fecerat, adhaeserit novae isti sententiae de impotentia quam cl. Antonelli introduxit: hanc nimis traditioni catholicae adversari censemus.

Quia tamen legi perpetui progressus hic in terris obnoxii sumus, fas nobis sit etiam quaedam desiderata vel optata nostra hic exponere. Nec felix nec omnino accurata est explicatio disciplinae de absolutione a reservatis censuris et peccatis. Confessarius non prohibetur directe (cum onere) absolvere a censuris reservatis, quando adiri potest confessarius privilegio absolvendi munitus, sed satis est ut non possit tempestive recurri ad *Superiorem* competentem (c. 2254); talis autem non est confessarius privilegiatus. Non recte igitur, n. 377, 7, a, et in formula notae 3 sub n. 368 sermo fit de alio facultatem habente. — Praeterea monent doctores, iam casum urgentiorem occurrere si durum sit paenitenti per unum diem in statu peccati manere et licere confessario ut, per piam hortationem, v. g. ostenso periculo moriendi in peccato, id paenitenti durum reddat. Quare parum ad usum est distinctio inter paroecias rurales et urbanas et absolutio ista nullo modo ut aliquid rarum vel insolitum proponenda est.

Nimis severe etiam proponitur reservatio peccati falsae denuntiationis, quando ignorantia a censura excusavit. Attento enim canone 900, qui, ut iam declaravit Pontificia Commissio Codici interpretando, etiam valet de ista reservatione, frequentissime erit simplici confessario expedita facultas absolvendi ab isto peccato, dummodo condiciones lege naturae praescriptae observentur.

Cum obligatio confessionis oralis in Codice silentio prematur, n. 273, nimis severe, nostra sententia, exigitur ut voce fiat.

Valde utile fore puto ut R. P. Schmitt, attente legendo opus P. Noldin a se quaerat utrum solutio auctoris sit satis completa, an res imperfecte tantum seu incomplete sit proposita. Demus nonnulla exempla. — N. 186, postquam recte affirmata est obligatio gravis celebrandi sacrum ex stipendio debitum, non minus recte additur restitutionem stipendii, si missa omissa sit, non posse sub gravi urgeri nisi valor sit saltem relative gravis. Verum nonne deceptor oblatorem certiorem reddere debet de non celebrato sacro? Potestne sine gravi reatu eum per dissimulationem gravi bono ad quod ius habebat, privare? De hac obligatione siletur. — Nec n. 604 vel 606, 2, declaratur utrum in casu perplexo facultas data sit necne dispensandi etiam a forma. — In

quaestione de indulgentiis sermo fit de altari privilegiato, quasi omne altare privilegiatum sit tantum pro defunctis. Habentur tamen altaria privilegiata pro vivis et defunctis, et privilegium altaris privilegiati pro morientibus conceditur sacerdotibus qui cooptati sunt in sodalicium a Transitu S. Ioseph. Neque omnis vis sacramentalium repetenda est ex impetratione Ecclesiae cum ipse Christus potestatem dederit apostolis et iis qui ab ipsis delegarentur, imperative expellendi daemones.

De ipsa materiae distributione, parum accommodate facta videtur collocatio quaestionum de indulgentiis in medio tractatu de Paenitentia, in ipso capite de subiecto paenitentiae, ante caput de ministro. Et nonne absolutio moribundis conferenda et articulus de imponenda paenitentia potius ad actionem ministri quam ad actionem paenitentis pertinent? Velimus etiam ut indices alphabetici sint minus ieiuni et commodius typis scripti. Ad errores typographicos etiam attendendum est: v. g. sub vocabulo Eucharistia, legitur; *Ieiunium naturale*, et remittitur ad *Ieiunium.* Littera I tamen incipit a voce Ignorantia et vox Ieiunium non occurrit nisi post « Iteratio » ante « Iubilaeum ».

Ut patet, et iam scripsimus, haec observamus mere hac intentione ut semper crescant numero et satisfactione qui optimum opus Noldin-Schmitt sibi assumunt ut amicum qui ipsos de omni re morali vera et utili instruat. A. VERMEERSCH S. I.

DR. AUGUST REATZ, PROFESSOR DER THEOLOGIE IN MAINZ. — **Jesus Christus.** *Sein Leben, seine Lehre und sein Werk.* 2e u. 3e verbesserte Aufl. (5.-7. Tausend). — Freiburg i. Br., Herder, 1925, in-8°, XIV-396 S., geb. Mk. 10,50.

« Das vorliegende Buch will nun weder ein ' Leben Jesu ' noch eine ' Apologie der Gottheit Christi ' sein. Aber es will ein geschichtliches Gesamtbild seiner Persönlichkeit, seines Lebens, seiner Lehre und seiner Wirksamkeit zeichnen. Es will das mit besonderer Berücksichtigung der zahlreichen Probleme, die für die geistige Einstellung des modernen Menschen an die Person Jesu und an sein Evangelium geknüpft sind ». Und so spricht der Verfasser im ersten Teil über Leben und Persönlichkeit Jesu, im zweiten über die messianische Verkündigung und im dritten über die messianische Stiftung. Es ist gewiss keine geringe Leistung, diesen übergrossen Stoff auf etwa 380 Seiten darzustellen, und wenn schon nach kurzer Zeit das Buch in zweiter Auflage erscheinen konnte, so ist das gewiss ein Zeichen, welchen Beifall es gefunden, und mit Grund gefunden hat. Hier wird

jenem weiteren Kreise unserer Gebildeten, deren Bedürfnis der Verfasser Rechnung tragen wollte, viel Gutes und Schönes geboten.

Die Abfassung eines solchen Buches bietet zweifellos ganz besondere Schwierigkeiten; sie setzt nicht nur Kenntnis der neueren Leben-Jesu-Forschung voraus, sondern vor allem auch eine gründliche Beherrschung der einschlägigen dogmatischen Fragen. Es möge beispielsweise bei dieser Gelegenheit auf einen Punkt hingewiesen werden, der ganz besonders zu beachten ist, wenn man ein Bild der Persönlichkeit Jesu geben, oder sein Seelenleben zeichnen will. Der göttliche Heiland hatte während seines irdischen Lebens in seiner Seele die Anschauung Gottes, und erkannte in dieser Anschauung Gottes alles Vergangene, Gegenwärtige und Zukünftige; ferner hatte er zwar Seelenleiden zu erdulden, nicht aber innere Seelenkämpfe durchzufechten. Es liegt auf der Hand, wie schwer es sein muss, ein solches Innenleben, das von dem unsrigen in mancher Hinsicht so verschieden ist, wahrheitsgetreu darzustellen. Wie die Anschauung Gottes, ja, wie schon allein die sichere und genaue Kenntnis der Zukunft sich in Christi Innenleben ausgewirkt hat, ist für uns kaum zu fassen, und doch darf eine historisch getreue Darstellung das alles nicht ausser Acht lassen. So wird man kaum als richtig anerkennen, wenn gesagt wird: « Das Gefühl äusserster Gottverlassenheit und bitterster Seelennot trieb ihm (Christus im Oelgarten) das Blut aus den Adern... Als der Verräter... erschien, hatte Jesus den furchtbarsten Kampf seines Lebens allein und siegreich durchgekämpft » (S. 91); oder: « Und es ist wiederum ein Beweis wundervoller Demut und messianischer Selbstbescheidung, wenn der Herr in seinem menschlichen Wissen und während der Zeit seiner Erniedrigung auch für sich selber auf die Offenbarung eines göttlichen Ratschlusses verzichtete, in dessen Kenntnis er das oberste Majestätsrecht des himmlischen Vaters verehrte » (S. 210). Und dabei scheint der Verfasser anderswo (S. 271 f) die Gottesschau in der Menschheit Christi durchaus anzuerkennen.

Auch sonst findet sich neben dem vielen Schönen noch manches, das recht ungenau ausgedrückt ist. Kann man z. B. sagen: « Geben wir zu, dass das vierte Evangelium möglicherweise *in seiner frei erläuternden Wiedergabe der Reden Jesu* den Gottessohntitel auch dort verwendet, wo er vielleicht ursprünglich nicht verwendet wurde » (S. 169); oder: « Die Erzählung von der Fusswaschung kann *ihrem Kern nach* nicht bezweifelt werden » (S. 359)? Durch dies und anderes wird die Freude an dem Buch leider getrübt. Für eine Neuauflage wäre eine gründliche Durchsicht sehr zu empfehlen. H. LENNERZ S. I.

SAC. OBL. MOSÈ TOVINI. — **Le verità della Fede. II.** — Brescia, « Queriniana », 1925, in-12°, 55 pag. L. 1,30.

Dopo le succose *Lezioni di Storia delle Religioni* (Brescia, 1914), e il I fascicolo su *Le verità della Fede* (Brescia, 1924), in cui trattò della Fede in sè stessa, dell'Unità e Trinità di Dio, della Creazione, del Peccato originale, il Tovini prosegue il lucido suo Corso di Religione col presente opuscolo, in cui tratta di Gesù Cristo, della sua Chiesa e della vita futura. Sono semplici riassunti, dettati per gli Alunni dell'Istituto Magistrale Catechistico di Brescia; la si direbbe una rapida corsa attraverso i dommi cristologici, ecclesiologici, escatologici. Però c'è il sufficiente, e più ancora per un nutrito Corso di Religione, nel quale la parola viva del Professore dia il suo peso ad ogni parola, la sua degna illustrazione ad ogni prova, il suo sviluppo ai vari accenni dommatici qua e là sparsi nel testo. Lodiamo anche l'ordinata perspicuità in cui la materia è disposta, e la pienezza delle pagine relativamente poche; il libretto così potrà leggersi e capirsi da sè, anche prima delle spiegazioni in iscuola, il che farà che queste potranno seguirsi meglio e venir più gustate; — dopo scuola poi, il darvi una ripassata basterà a scolpirle sempre più nella memoria e nell'intelligenza.

Notammo qua e là qualche sfumatura di ambiguità o di inesattezza, che certo sparirebbe nell'esposizione compiuta del Professore; la comune dei lettori vi sorvola senza neanche accorgersene, ma chi è avvezzo alla precisione teologica suggerirebbe gli opportuni ritocchi. Così l'esempio usato a pag. 10-11 potrebbe lasciare intendere un po' equivocamente l'unione ipostatica delle due nature in Gesù Cristo, e l'immobilità attribuita all'anima separata può dare luogo a malintesi, se non venga ulteriormente spiegata (pag. 47).

G. MONETTI S. I.

PAUL MONCEAUX. — **Histoire de la littérature latine chrétienne.** — Paris, Payot, 1924, in-12°, 176 pag.

Exiguum hoc volumen thesaurum continet notitiarum circa vitam, opera, dotes scriptorum christianorum, qui latina lingua utuntur. Qua pollet scientia christianarum litterarum latinarum, cl. Monceaux paucis hisce paginis totum argumentum ita comprehendit, ut brevitas neque expositionis integritati neque elegantiae et claritati dictionis noceat. Quicumque litteris christianis dat operam, non sine utilitate hoc Vade-

mecum consulet. Observet tamen, a Monceaux considerari illos scriptores sub aspectu litterario et quaedam asseri, quae neque cum doctrina Ecclesiae, neque — pace cl. viri dixerim — cum conclusionibus sincerae inquisitionis historicae componi possunt.

J. F. de Groot S. I.

Dott. ANDOMENICO SARTORI. — **Propedeutica alla storia del Dogma.** — Torino-Roma, Marietti, 1926, in-8°, viii-90 pag.

Historiae dogmatum studium quantopere hisce temporibus sit necessarium, notissimum est. Nomen tamen apud quosdam catholicos male sonabat: inter cultores enim huius scientiae vel plurimi sunt acatholici et rationalistae, qui, quamvis egregie versati in antiquis litteris christianis, a talibus solent proficisci principiis, quae notioni doctrinae revelatae non solum contraria sunt, sed eam potius funditus evertunt. Quorum auctoritas cum sit hodie maxima, ii catholici, qui huic scientiae adeo necessariae operam dare intendunt, praemuniendi sunt, ne in scopulos latentes impingant. Genuina notio evolutionis dogmatis eiusque historiae, qualem Ecclesia agnoscat, quin immutabilitas doctrinae a Deo infinite verace revelatae in dubium vocetur, sedulo declaranda et defendenda est; principiorum, quibus adversarii revelationis innituntur, falsitas detegenda; inanitas argumentorum, quibus modernismus tot scientiae cultores decepit, demonstranda est. Quae omnia dr. Sartori hoc opusculo egregie praestitit. Quare id libenter studiosis historiae dogmatis commendamus, ut optimam introductionem ad hanc disciplinam. J. F. de Groot S. I.

P. JOSÉ M. MARCH S. J. — **Meditaciones sobre los Evangelios de las Fiestas de los Santos.** Obra hasta ahora inedita y desconocida de San Francisco de Borja de la Compañía de Jesús. — Barcelona, Casulleras, 1925, in-8°, xvii-189 pag.

In Collectione, quae inscribitur: « *Biblioteca manual sobre la Compañía de Jesús* », Serie primera: *Textos,* post autobiographiam Sti. Fundatoris et Memoriale Bti. Petri Faber, opus tertium prodiit in lucem liber meditationum Sti. Francisci, tertii Societatis Praepositi Generalis, quas pro fratribus suis in Societate Iesu composuerat. Dum meditationes de Evangeliis Dominicarum et Feriarum iam ante 250 annos prelo traditae erant et iterum originali hispanica lingua a P. Cervos editae

anno 1912, hae usque ad nostra tempora in Bibliotheca Barcinonensi absconditae erant. Quarum 82 festa, 10 varia Communia Sanctorum tractant. Eminent spiritu, qui in eis elucet, Sancti scil. alicuius admodum humilis et contemplativi. Magna pars orationi affectivae in Colloquio peragendae traditur. Clare demonstrant meditationes illae una cum similibus a P. Nadal S. I. mandato Sti. Ignatii confectis atque editis, quam bene ab exordiis Societatis inter se convenerint spiritus Exercitiorum et spiritus liturgicus et propterea nec hodie veram oppositionem inter illos statui posse, sed potius relationem mutui complementi. E. Raitz v. Frentz S. I.

Dr. MARTIN GRABMANN, Professor der Theologie in Muenchen. — **Thomas von Aquin.** *Eine Einführung in seine Persönlichkeit und Gedankenwelt* («Sammlung Kösel» 60). — München, Kösel und Pustet, 1926, in-8°, 172 pag.

Pretiosus hic libellus, iam quinta vice editus, brevi stylo permulta de vita, de scriptis genuinis, et simul de tempore et loco scriptionis et tandem summa capita doctrinae Angelici ducis exponit. Speciali laude digna videntur ea, quae cap. 3 exhibentur de indole propria scientifica (Wissenschaftliche Individualität und Arbeitsweise) et cap. 9 de mediis scientificis ad intelligendam et interpretandam doctrinam Aquinatis. Optandum, ut opus hoc auctoris eruditissimi praesertim inter alumnos philosophiae christianae cognitionem et aestimationem Doctoris Angelici eiusque doctrinae augeat. J. B. Schuster.

FRANZ BRENTANO. — **Die vier Phasen der Philosophie und ihr augenblicklicher Stand.** Nebst Abhandlungen über Plotinus, Thomas von Aquin, Kant, Schopenhauer und August Comte. Herausgegeben von Oscar Kraus. — Leipzig, Meiner, 1925, in-12°, xviii-169 pag.

Brentano tum in philosophia Graeca, tum in philosophia medii aevi et recentioris temporis quattuor periodos distinguit, quibus processus philosophicus absolvebatur: evolutio ascendens cum methodo vera et convenienti philosophiae, quaedam remissio zeli theoretici, praevalentia Skepticismi, Mysticismus. Ita v. g. historia philosophiae medii aevi dividitur. Evolutio ad perfectam apicem Aquinatem, — tempus Scotisticum — Skepticismus Nominalium — Reactio Mysticismi.

Philosophia idealistica Germaniae (Kant, Fichte, Schelling, Hegel) graviter reprehenditur; simul commendatur methodus sobria et succincta, quam auctor putat esse propriam scientiae naturali. Contra Kant defenditur possibilitas metaphysicae cognitionis.

Philosophia Plotini eiusque vita breviter proponuntur; ideae principales refelluntur non sine vituperatione Mysticismi moderni.

Brevis articulus de S. Thoma exponit eius doctrinae indolem valde « modernam », quae non sine pugna suum locum obtinuit. S. Aquinas ut verus doctus ex sincera scientiae eiusque fundamenti aestimatione Ecclesiae se subiecit.

Contra Kant defendit Br. argumenta pro existentia Dei.

Schopenhauer pertinet ad periodum philosophiae collabentis. Quod ostenditur in doctrina de cognitione, eius voluntarismo, pessimismo, negatione obligationis ex defectu libertatis voluntatis.

De A. Comte adhuc catholicus Brentano scripsit. Magna subtilitate inquirit in periodos scientiae a Comte propositas, in aliquibus correctionem apponit.

Contra Hertling Philosophum Catholicum (olim Cancellarium regni Germanici) et propinquum suum Brentano disputat de inquisitione « libera ». Negat in philosopho Catholico necessariam libertatem inquirendi possibilem esse. J. S.

FRANZ BRENTANO. — **Vom Ursprung sittlicher Erkenntnis.** Nebst kleineren Abhandlungen zur ethischen Erkenntnistheorie und Lebensweisheit. Herausgegeben und eingeleitet von OSCAR KRAUS. — Leipzig, Meiner, 1922, in-12°, XIV-108 pag.

Ponitur quaestio critica de obiectivitate cognitionis quoad bonum honestum. Novimus et agnoscimus praecepta moralia, haec facienda illa omittenda. Ubi invenitur sanctio seu melius ius et legitimitas eorum? Non in experientia quadam utilitatis etc., sed in interna eorum rectitudine. Oportet distinguere tres classes actuum psychicorum: repraesentationes, in quibus nihil affirmatur vel negatur — iudicia, quae continent approbationem vel reprobationem intentionalem — affectiones (et volitiones). Haec quoque tertia classis includit approbationem et reprobationem, amare quoddam vel fugere. Secundae et tertiae classis actus possunt esse « recti » vel « falsi ». Ex hoc fonte originali hauriuntur conceptus boni et mali, similiter ac conceptus veri et falsi. Bonum est obiectum, si amor in id tendens est rectus. Solutio problematis critici quoad bonum hoc est. Dantur actus appro-

bationis et reprobationis evidentes simul cum cognitione rectitudinis necessariae actus subiecti. Dantur actus voluntatis evidenter recti seu conformes cum suo obiecto. Specialis inquisitio apponitur circa quaestionem de maiori bono (Vorzugsevidenz). Bonum maius est id, quod iure *magis* placet. Cavendum tamen, ne actum placendi in sensu Subiectivistarum intelligamus. Habentur varii modi distinguendi bona maiora et minora.

Opusculum sane gravis momenti, tum quoad modum proponendi problema, tum saltem quoad ideam generalem solutionis, de quo v. g. Husserl inaugurator methodi Phaenomenologicae fatetur, magnum influxum accepisse. Fatendum vero est, plures sententias v. g. de divisione actuum psychicorum, de actibus evidentibus et caecis (!) de boni maioris determinatione non probari. J. S.

FRANZ BRENTANO. — **Die Lehre Jesu und ihre bleibende Bedeutung.** Mit einem Anhang: *Kurze Darstellung der christlichen Glaubenslehre.* Herausgegeben aus seinem Nachlass von ALFRED KASTIL. — Leipzig, Meiner, 1922, in-12°, XIV-149 pag.

Brentano, post suum ab Ecclesia catholica discessum, more Rationalistarum putat elementa essentialia doctrinae Christi maxime quoad vitam moralem retineri posse ac deberi. Expresse negatur SS. Trinitas, agnoscitur vero existentia Dei. In altera sectione oppugnat methodum apologeticam, quam instituit Pascal in opere « Pensées ». De quo hoc iudicium fertur: Numquam maius ingenium prae illo apologiam doctrinae ecclesiasticae scripsit, numquam fundamentum longius a veritate aberat, utpote negans possibilitatem cognitionis circa praeambula fidei. Ex ordine singula argumenta discutiuntur: ex modo introductionis Ecclesiae sine vi armorum, ex sanctitate animae christianae, ex indole miraculosa Scripturae sacrae, ex persona D. N. Iesu Christi, ex dictis et factis Apostolorum, ex Moyse et Prophetis, ex consideratione populi Iudaici, ex perenni duratione Ecclesiae, ex sanctitate eius doctrinae. Fusius tractatur de obligatione credendi, de relatione inter fidem et scientiam. J. S.

KAPLAN HELMUT FAHSEL. — **Die Ueberwindung des Pessimismus.** *Eine Auseinandersetzung mit Schopenhauer.* — Freiburg i. Br., Herder, 1925, in-8°, VII-86 S., Mk. 2.

Il Fahsel confessa il suo passato pessimistico alla scuola di Arturo Schopenhauer; questo ci è garanzia che quando ci parla del si-

stema del suo antico maestro, sa bene ciò che si dice. Ebbe poi la fortuna e la grazia di uscire dalla tetra, desolante caligine, orientandosi verso i radiosi orizzonti della verità cattolica, piena di luce per le menti, che ci capiscono omai più che qualche cosa nell'enigma della natura e della storia: — piena sopratutto di consolazione per il cuore, che non se ne sente più contraddetto nel suo bisogno imperioso di felicità, anzi si vede offerta — purchè la voglia davvero, e faccia quant'è in sè per acquistarla — una felicità senza pari « cui occhio mortale non vide, nè orecchio udì, nè capì mai in alcun umano desiderio »... Ma come mai avvenne questo passaggio, come si maturò questa *conversione*?

In questo suo opuscolo l'Autore risponde appunto a questa domanda: perciò l'intitola: — *La vittoria sul pessimismo*; qui ci traccia le fasi della battaglia da lui ingaggiata e sostenuta contro il mostro, e il trionfo che la sua ragione ne ha riportato.

In altri termini: — l'Autore qui ci espone i pensieri, le riflessioni, da cui egli fu condotto ad abbandonare il pessimismo per volgersi al Cristianesimo: — essi formarono dapprima l'interno suo travaglio; dopo la sua conversione li espose in una Conferenza autobiografica ad un pubblico di amici e conoscenti; più tardi gli diedero, ampliati, rifusi, schematizzati, la materia di questo fascicolo, che, nella sua perspicuità di stile, nella pienezza di concetto, nella briosità del movimento, è destinato a fare molto del bene. E già ne deve aver fatto molto; chè abbiamo in mano l'edizione dal 6° al 10° migliaio: — segno che piacque e che persuase.

Comincia con una breve esposizione della dottrina dello Schopenhauer, mostrando com'egli concepisse il dolore e ne trattasse il problema, come concepisse il processo dell'abnegazione della volontà per via di contemplazione e di ascesi, e quale idea egli si fosse formata delle dottrine ebraico-cristiane sulla mortificazione. Propostesi così le questioni da trattare, passa alla critica del pessimismo schopenhaueriano, prolungandosi in essa assai più, data l'importanza della materia.

E qui riassume la vera teoria del male, conseguenza del peccato di origine, negazione piuttostochè cosa positiva, incapace di entrare nella diretta intenzione di Dio Creatore, da attribuirsi piuttosto alla natura infima delle cose, all'umana libertà, al disordinare delle passioni. Fatta indi una breve confessione del proprio passato pessimistico, rileva come l'annegazione della volontà presume un'affermazione, un bene superiore e un desiderio di esso, che compensi col suo raggiungimento l'asprezza dell'annegazione... bene che non si ritrova nè

nel pessimismo naturale pseudofilosofico, nè nell'ascesi buddistica, ma soltanto nella dottrina cristiana. Questa induce alla mortificazione coll'esempio di Cristo, colla necessità del frenar le passioni corrotte, colla sublimità delle mistiche trasformazioni... sostituendo così al piacere materiale l'intima eletta gioia dello spirito.

E allora si spiega come nel mondo s'incontri un male da fuggire, cui rettamente ci indica quello che si volle chiamare *pessimismo cristiano*: — e insieme un bene da riconoscere nelle creature, come mezzi per raggiungere il nostro fine, e più ancora in Dio e nel suo pieno beatifico possesso, come fine ultimo della nostra attività, per tal modo destinata, non al male, ma al bene — non al pessimo, ma all'ottimo... ciò che in verissimo senso può chiamarsi *ottimismo cristiano*.

Dunque Arturo Schopenhauer non ci ha capito nulla nella dottrina cristiana, quando volle vedervi in ciò che vi si dice della mortificazione come una conferma del suo pessimismo; piuttosto essa sola dà del dolore l'unica spiegazione razionale, pur aprendoci attraverso ad esso le vie della felicità. G. Monetti S. I.

ELENCHUS BIBLIOGRAPHICUS

N. B. — Monemus sola operis inscriptione nullatenus commendationem ipsius intendi; insuper magnitudinem libri, quam dicunt in-8° intelligi, nisi aliter notetur.

A. — GENERALIA.

III. Opera ad plures tractatus extensa.

Braun J., Handlexikon der Kath. Dogmatik. Freiburg, Herder. — Cf. P. C. Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 4 (1927) 389.

Hervé J. M., Manuale Theol. Dogmaticae: De SS. Eucharistia. De Poenitentia et Indulgentiis. De Extrema Unctione. De Matrimonio. De Novissimis. Paris, Baston. — Cf. R. Petrone: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 4 (1927) 185-186.

Lercher L., Institutiones Theologiae Dogm. in usum scholarum. Vol. I. De vera religione. De Ecclesia Christi. De Traditione et Scriptura. Œniponte 1927, Rauch. x, 650 p.

B. — SPECIALIA.

IV. Historia Dogmatum. Theologia in genere.

b. QUAESTIONES PARTICULARES.

Bacic A., Introductio compendiosa in opera S. Thomae Aquinatis. Romae, apud « Angelicum ». — Cf. P. Castagnoli: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 539-540.

Botte B., Jean le Théologien: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 4 (1927) 382-388.

Callebaut A., Jean Pecham O. F. M. et l'Augustinisme. Quaracchi 1925, Coll. S. Bonaventura 32 p.

Christopher J. P. S., Aurelii Augustini Hipponiensis Episcopi, « de catechizandis rudibus » liber unus. (Doctoral dissertation). Washington, Cath. Educ. Pr. — Cf. Month 149 (1927) 373-374.

Helm R., Eusebius Werke — Die Chronik des Hieronymus. Leipzig 1926, Hinrichs. 778 p.

Herrmann W., Systematic Theology. New York 1927, Macmillan. 152 p.

Lang A., Die loci theologici des Melchior Cano. München, Kösel-Pustet. — Cf. R. Schultes: Div. Thom. (Frib. Helv.) 5 (1927) 107-109.

Lortz J., Tertullian als Apologet. II. Bd. Münster 1927, Aschendorff. XXIV, 399 p.

Post L., Die kath. Wahrheit. Nach der Summa des hl. Thomas von Aquin. I Teil. Gott, Schöpfung, Weltregierung. Münster, Aschendorff. — C. R. Schultes. Div. Thom. (Frib. Helv.) 5 (1927) 109-111.

Sartori A., Propedeutica alla storia del dogma. Torino, Marietti. — Cf. A. S.: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 4 (1927) 187-189.

S. Thomas, Summa Theol. S. Thomae de novo edita cura et studio Collegii Prov. Tolos. O. P. apud S. Maximinum: I. Pars. Parisiis, Blot. — Cf. R. Petrone: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 4 (1927) 393-394.

Valensin A., L'objet propre de la théologie spirituelle: Nouv. Rev. Théol. 54 (1927) 161-191.

V. Theologia Fundamentalis.

a. TRACTATUS INTEGRI.

Dieckmann H., De Ecclesia. Frib. Herder. — Cf. R. Schultes: Div. Thom. (Frib. Helv.) 5 (1927) 111-115.

Dorsch A., Inst. Theol. Fund. vol. III. De inspiratione S. Scripturae [2]. Œniponte 1927, Rauch. x, 449 p.

Schultes R., De Ecclesia Catholica. Parisiis, Lethielleux. Cf. R. Petrone: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 742-743.

b. Quaestiones particulares.

Anonymus, Canonization and Infallibility: Eccl. Rev. 76 (1927) 208-209.

Brunsmann J., Kirche und Gottesglaube. St. Gabriel, (Wien), Missionsdruckerei. — Cf. P. Castagnoli: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 743-744.

Caspar E., Primatus Petri. Weimar 1927, Böhlaus. vi, 79 p.

Fascher E., Προφήτης. Eine sprach- und religionsgesch. Untersuchung. Giessen 1927, Töpelmann. 228 p.

Hamilton F., The basis of Christian faith. New York 1927, Doran. 335 p.

Leycester King. J., Reason, not sentiment, the foundation of faith: Month 149 (1927) 385-396.

Ropes J. H., The beginnings of Christianity: Part. I. The Acts of the Apostles. London, Macmillan. — Cf. F. C. Burkitt: Journ. Theol. Stud. 28 (1927) 194-199.

VI. De Deo Uno et Trino.

b. Quaestiones particulares.

1. *De Deo Uno.*

Bersani S., De voluntate Dei: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 381-393. 589-599; s. III. a. 4 (1927) 5-16. 229-241.

Dulau P., Les preuves classiques de l'existence de Dieu et la « Critique de la raison pure »: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 432-446.

Friethoff C., Die Prädestinationslehre bei Thomas von Aquin und Calvin. Freiburg i. Schw., St. Paulus-Druckerei. — Cf. F. Mitzka: Zts. f. kath. Theol. 51 (1927) 441-442.

Gardeil A., La vitalité de la vision divine et les actes surnaturels: Rev. Thom. 9 (1926) 477-489.

Lennerz H., Natürliche Gotteserkenntnis. Stellungnahme der Kirche in den letzten hundert Jahren. Freiburg, Herder. — Cf. P. Castagnoli: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 746-747.

Martin R., Pour S. Thomas et les thomistes et contre le R. P. Stufler S. I. Saint Maximin, Ecole de Théol. — Cf. R. Petrone: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 521-523.

Ohm Th., Die Stellung der Heiden zu Natur und Uebernatur nach dem hl. Thomas von Aquin. Eine missions-theoretische Untersuchung. Münster 1926, Aschendorff. xvi, 352 p.

Le Rohellec J., Cognitio nostra analogica de Deo: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 4 (1927) 298-319.

Sartori A., La visione beatifica. La dottrina e la controversia nella storia. Torino 1927, Marietti. xii, 178 p.

Stufler J., Ergebnis der Kontroverse über die thomistische Konkurslehre: Zts. f. kath. Theol. 51 (1927) 329-369.

2. *De Deo Trino.*

Slipyj I., De principio spirationis in SS. Trinitate. Leopoli 1926, Sumptibus « Theol. Soc. ». — Cf. V. Cremers: Nouv. Rev. Théol. 54 (1927) 72; F. Mitzka: Zts. f. kath. Theol. 51 (1927) 441.

id., Num Spiritus Sanctus a Filio distingueretur, si ab eo non procederet. Bohosl. 5 (1927) 2-19.

VII. De Deo Creante et Elevante.

b. QUAESTIONES PARTICULARES.

1. *Creatio.*

Bittremieux J., De mensch, Gods evenbeeld en gelijkenis: Ons Geloof 12 (1926) 241-253. 289-303.

Faragó J., De problemate metaphysico novitatis mundi creati. (A teremett világ idöbeli kezdetének metafizikai kirdese). Budapest 1926, Stephaneum.

2. *Angeli.*

Lanzanova G., Il demonio. Brescia, Libreria Queriniana. — Cf. S.: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 526-528.

3. *Homo.*

Barton W. E., My faith in immortality. London 1927, S. Low. 248 p.

4. *Elevatio.*

Petrone R., Atto e potenza nella processione delle creature da Dio secondo l'essere sopranaturale: Div. Thom. (Plac.) s. III. a. 3 (1926) 413-431. 600-611.

(Continuabitur). FR. S. MUELLER S. I.

 Probantibus Superioribus ecclesiasticis.

DOMINICUS M. PALERMO LAZZARINI S. I. curator sponsor.

Romae, 1927 --- Typis Cuggiani, Via della Pace, 35.



Ius Digestorum, additis Iurium nostri temporis, praesertim Iuris Canonici adnotationibus. E praelectionibus quas in schola textus Iuris Romani habebat Sac. SOSIUS D'ANGELO. Tom. I (p. I). Pars Generalis. — Romae, Marietti, 1927, in-8°, XVI-675 pag. L. 55.

ALFRED FEDER S. I. — **Studien zum Schriftstellerkatalog des heiligen Hieronymus.** — Freiburg i. Br., Herder, 1927, XII-208 S. Mk. 11.

P. TIMOTHEUS SCHAEFER, O. M. CAP. — **De Religiosis ad normam Codicis Iuris Canonici.** Compendium. — Münster i. W., Aschendorff, 1927, in-8°, XX-727 pag. Mk. 14.

F. X. JANSEN S. I. — **Baius et le Baianisme.** *Essai théologique.* — Louvain, « Museum Lessianum », 1927, in-8°, XVIII-237 pag. Fr. 25.

DR. MAX KUEENBURG S. I. — **Der Begriff der Pflicht in Kants vorkritischen Schriften** (Philos. u. Grenzwiss. II, 3). — Innsbruck, Rauch, 1927, in-8°, VII-40 S.

SAC. A. M. MICHELETTI. — **Epitome theologiae pastoralis.** II. *De magisterio pastorali.* Pars I. *De scandalis.* — Taurini, Marietti, 1927, in-12°, IX-494 pag. L. 17.

FRANCISCUS TER HAAR C. SS. R. — **De occasionariis et recidivis iuxta doctrinam S. Alphonsi aliorumque probatorum auctorum.** — Taurini, Marietti, 1927, in-8°, XVI-449 pag. L. 30.

D. THOMAS AQUINAS O. P. — **Summa theologica in breviorem formam redacta usui seminariorum aptata** auctore Fr. IOANNE LOTTIN O. P. Pars tertia. — Taurini, Marietti, 1927, in-8°, 634 pag. L. 27.

ALOIS VAN HOVE. — **La doctrine du miracle chez saint Thomas et son accord avec les principes de la recherche scientifique** (Univ. Cath. Louvain. Dissert. ad gradum magistri in fac. theol. Series II. Tom. 19). — Bruges, Beyaert, 1927, in-8°, XXXV-390 pag. Belgas 12.

DOTT. CORRADO GROEBER. — **La Madre.** *Preparazione, valore e fini della maternità nel concetto cristiano.* Trad. e adattamento del Dott. ANTONIO MASINI. — Torino, Soc. Editr. Internaz., 1927, in-12°, VIII-286 pag. L. 12.

ANTONIO COJAZZI. — **I gruppi del Vangelo.** — Torino, Soc. Editr. Internaz., 1927, in-12°, 130 pag. L. 3.

RAIMONDO G. DEL PRETE S. I. — **La Meta dei Forti.** — Torino, Soc. Editr. Internaz., 1927, in-12°, 237 pag. L. 10,60.

DR. WILHELM GOETZMANN. — **Die Unsterblichkeitsbeweise in der Väterzeit und Scholastik bis zum Ende des dreizehnten Jahrhunderte.** — Karlsruhe, Gutsch, 1927, in 8°, VIII-247 pag., geb. Mk. 7,50.

G. VROMANT, C. I. C. M. DE SCHEUT. — **De Bonis Ecclesiae temporalibus** ad usum praesertim missionariorum et religiosorum. — Louvain, « Museum Lessianum », 1927, in-8°, XIV-396 pag. Fr. 35.

